

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

BOHUSLAUS HASSENSTEINIUS
BARO A LOBKOWICZ

EPISTOLAE

ACCEDUNT EPISTOLAE AD BOHUSLAUM SCRIPTAE

EDIDIT

† AUGUSTINUS POTUČEK

MCMIVL. — EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

BOHUSLAUS HASSENSTEINIUS
BARO A LOBKOWICZ

EPISTOLAE


ACCEDUNT EPISTOLAE AD BOHUSLAUM SCRIPTAE

EDIDIT

† AUGUSTINUS POTUČEK

MCMIVL. — EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

Iq. kot
114 945



AUGUSTINUS POTUČEK

30. Octobris 1872. — 17. Februarii 1941.

Augustinus Potuček, filius geometrae, in civitate Pardubitz (in Bohemia) natus est. In universitate Germanica Pragensi classico-philologiae studebat. Magister primum in gymnasio oppidi Stribro (Mies), deinde civitatis Aussig, tum in civitate Liberec (Reichenberg) docebat, ubi gymnasium quoque direxit, postremo director gymnasii in civitate Zatec (Saaz) factus est. Emeritus in civitate Dasenae (Dečín, Tetschen) vixit, ubi hanc editionem epistolarum Bohusai quoque confecit.

Opera eius didactica totam linguae Latinae historiam complectuntur. De Graeca lingua docenda quoque libris scribendis optime meritus est.

Nunius tristissimus ineunte a. 1941. mihi allatus est: Augustinus Potuček, editor Bohuslai epistolarum, e vita discessit.

Maestissimo corde opus postumum ἀκριβείᾳ vere philologica compositum in lucem proferimus.

Nunc, cum imaginem Benignissimi Senis Optimique intueor, nunc, cum manuscripta Doctissimi studiose recenseo, nunc, cum epistolas Eius carissimas spiritu humanitatis plenas revolve et memoria repeto revocoque in animum commercium litterarum Augustini Rivuli et Ladislai Opilionis, Collaboratore meo Carissimo praesente loqui videor.

Valde doleo, inconsolabiliter, quod hoc opus, cum totus terrarum orbis arderet flammis, Editore vivo apparere non potuit. Primo tempore — eodem anno, quo arma crepitari desita sunt — damnum resarcire reparareque et Manes Defuncti expiare contendimus.

Sit hoc opus signum pacis reconciliationisque nationum: hoc opus vere humanisticum et internationale.

Dabam in civitate Szeged, in Hungaria, Kalendis Septembribus a. 1945.

Ladislauș Juhász

PRAEFATIO EDITORIS.

Operae pretium esse arbitrati editionem Bohuslai Hassensteinii epistolarum publici iuris facimus, ut litteratorum hominum civitati facillimus aditus pateat ad cognoscendam litterarum consuetudinem principis omnium, quos Bohemia tulit, poetarum et oratorum Latinorum.

Perversum ordinem, quem epistolis in quinque libros distributis Thomas Mitis in editione sua instituerat, servare omisimus epistolasque e ratione temporum — sicut Truhlár — ordinavimus. Ut iustum iis locum assignaremus, quae quovis certi temporis indicio carent, earum argumenta aliaque litterarum monumenta perscrutanda erant, unde coniecturam caperemus, quo fere tempore haec vel illa epistola exarata esset. Quod negotium quantis obnoxium sit difficultatibus, harum rerum periti facile agnoscent. Nec tantam iudicii subtilitatem nobis arrogamus, ut ubique verum aut saltem id, quod ad verum proxime accedat, liberi ab omni errandi periculo invenisse contendamus.

Codices editionesque omnes perlustravimus et quae ibi non probanda videbantur, correximus, genuino tamen textu, quoad et quantum fieri potuit, religiose observato. Sed iis locis, qui glossematis vel manifestis erroribus deformati essent, aptiores lectiones aut coniecturas admisimus, quas aliorum iudicio probatas vel quadam veritates specie commendatas putavimus. Nec minus curavimus, ut pauca illa, quae novaremus, in Bohuslai dicendi genus quadrarent. Considerandum autem est autographis deperditis textus maximam partem repetendos esse ab editionibus, quae multis demum annis post Bohuslai obitum foras datae sunt. — Notas marginales, quas Mitis addidit, sed quae epistolis Bohuslai autographis certo non ascriptae sunt, quia minimi videbantur pretii, promere nobis non placuit. Alia tamen, quae utilia aut quibusdam de causis memoratu digna habuimus, commentario critico subiunximus. Ita delegavimus conferendi causa ad locos e Vita Bohuslai (a Thoma Mite in editione m scripta) sumptos, qui quidem ad rem enarrantam pertinerent.

Editio nostra plurimis locis ab editione Iosephi Truhlár (t) discrepat. In usum virorum doctorum, qui praeter editionem nostram editiones antiquiores, quales imprimis Mitis, Cornova, Truhlár adornaverunt, ad manus vel locos ex iis laudatos habent, tabulas synopticas adneximus, quibus conspectus harum editionum cum nostra collatarum illustraretur.

Augustinus Potuček

PRAEFATIO REDACTORIS.

Editore vivente paginae 1—152. excusae sunt. Praeter Indicem Nominum omnia manuscripta (Introductionis et Annotationum Criticarum) ab Editore ad nos missa sunt, quae a nobis ad modum rationemque Bibliothecae transcripta sunt, item Index Nominum compositus.

Datum in civitate Szeged, ipso mortis die Collaboratoris nostri, a. 1946.

Ladislau Juhász

INTRODUCTIO.

I. — De Bohuslai Hassensteinii vita operibusque.¹

A) Vita.

Bohuslaus Hassensteinus baro a Lobkowitz in arce Hassensteyn² prope Cadanam Bohemiae occidentalis oppidum in radicibus Montium metalliferorum sita a. 1460. (vel fortasse 1461.)³ natus est.⁴ Avus eius Nicolaus senior (I.) a Lobkowitz et de Hassenstein, „originarius lineae Hassensteinianae“, protonotarius tabularum regni Bohemiae et urburae regalis in Montibus Cuttnis, avia Agnes Gутtensteiniana s. de Gutensteyn⁵ fuerunt. Qui avus a. 1409. curiam Lobkowitz supra Albim flumen emit et possessionem arcis Hassensteininae duobus diplomatis imperatoris Sigismundi (a. 1420. et 1421.) accepit, quae olim Saxonie comitum Schoenburgiorum s. de Schoenburk fuerat. Cuius Nicolai filio Nicolao (II., † 1462.) Lobkowitz ab Hassenstein⁶ hanc donationem rex Ladislaus Postumus a. 1457. confirmavit et imperator Fridericus III. a. 1459. dignitatem baronis Imperii Romani donavit.⁷ Qui Nicolaus ex Sophia de Zierotin, Plichtae filia, quattuor filios procreavit: Ioannem⁸ (1450–1517.), Nicolaum († c. a. 1499.), Iaroslauum (immature fato ereptum), Bohuslaum nostrum.

De prima Bohuslai adolescentia nihil certi comperimus. Pater eius iam a. 1462. mortuus est; mater quoque ante iustos annos defuncta est.⁹ Eum ab iis magistris esse instructum, quos in oppido Cadana magister Gregorius Pragensis docuerat, suspicamur.¹⁰ Quorum opera sine dubio Bohuslao talis educatio et institutio obtigit, ut non solum communibus litterulis erudiretur, sed etiam ad academiam frequentandam ei aditus pateret. Quo tempore Bohuslaus assecula Calixtinorum moderatorum factus est, mox autem ad ecclesiam Romanam deflexit.¹¹

A. 1475. Bohuslaus quindecim ferme annorum — more iuvenum nobilium Bohemorum¹² ad liberalioris doctrinae laudem aspirantium — in Italiam profectus est, ut ad amplius ministerium ecclesiasticum destinatus ius canonicum disceret. In actis universitatis Bononiensis anni 1475–76. baro Hassensteinus civibus nationis Germanicae ascriptus est,¹³ ubi tunc magistri fuerunt Philippus Beroaldus senior, patronus et fautor iuvenum Bohemorum, et Antonius Britoniensis, quo linguae Graecae praeceptore videtur esse usus;¹⁴ ceterum Bohuslaum Beroaldi discipulum fuisse non constat. Comes Bohuslai hic fuisse videtur Ladislaus quidam sacerdos Hungarus, presbyter Vesprimiensis, quamquam de eo tantum Ferrariae fit mentio.¹⁵ Bononiae artissimo amicitiae vinculo coniunctus est cum Petro Schotto,¹⁶ patricia familia Argentinensi oriundo, qui Bohuslaum arte metrica et prosodia initiavit. Ambo carmina scribere tentabant, quae Schottus a. 1477. praedicatori

Ioanni Geilero de Keyzersberg iudicanda misit.¹⁷ A. 1478. pestilentia Bononiae grassante ambo aliquantum temporis studia interrumpere coacti sunt.¹⁸ Num Bohuslaus in Bohemiam redierit, ignoratur; a. 1479. iterum Bononiae invenimus. A. 1481. ineunte cum Schotto, qui studia interea finivit, Ferrariam iurium canonici et Romani discendorum causa Ferrariam it. Stadio studiorum hic decurso Bohuslaus lauream doctoris esse assecutus videtur.¹⁹ Ferrariae Bernhardus Adelmännus²⁰ et frater eius Conradus et Udalricus de Friendsberg²¹ amici eius facti sunt. Schottus a. 1481. Romam profectus est, mox inde in patriam rediturus Bohuslaum Ferrariae visitavit;²² ambo ordinem ecclesiasticum profiteri²³ decernunt, a quo autem proposito Bohuslaus fratribus dissuadentibus destitit. Mox Ferrariae gravi morbo afficitur.²⁴ Studiis finitis a. 1482. Ferrariam relinquit et in patriam redit et proximo anno (vel 1484.) ineunte a Vladislao, Bohemorum rege (1471—1516.), praepositus Wyssegradensis (in Bohemia) nominatus est; hoc titulo archicancellarius regni Bohemici nominatur.²⁵ Sacerdotium autem eum non iniisse verisimile est. Quo autem munere Bohuslaus a. 1486. abdicavit. A. 1485. Petrum Schottum Argentinae visitavit.²⁶ In Alsatia Iohannem de Keyzersberg et Iacobum Wimpheling studiis humanitatis clarum cognovit. Amicos sibi comparavit Fride ricum Busner (Bussener)²⁷ et Stephanum Pisonem²⁸ humanistam Hungarum.

Reversus Bohuslaus controversiis cum fratre Ioanne exortis impeditus est, quominus munus aulicum capesseret. Domi igitur re rustica occupatur.²⁹ Tandem a. 1487. exeunte vel proximo ineunte Pragae in aula regia regius secretarius³⁰ factus Pragam proficiscitur, ut doctrinam studiis acquisitam honore gerendo in vitae communis usum converteret. Ut autem haberet, qua via et ratione res aulicas administraret, a Schotto „exiguum libellum“³¹ petiit, quo se edoceret, quid potissimum ei curiam regis accessuro in hoc novo vitae genere faciendum existimaret. Schottus misit ei opusculum „De Christiana vita salubriter instituenda“.³² Bohuslaus in aula regia auspiciis Ioannis de Sselnberck, supremi regni Bohemiae cancellarii, munere aulico fungebatur³³ et interea fortasse in Silesia prima a. 1488. parté stipendia militaria meruit.³⁴

Amicos sibi domi conciliavit magistrum Victorinum Cornelium de Wssehrd, scribam s. viconotarium apud tabulas publicas, Ioannem de Domaslavia, scribam tabularum curiae s. apud tabulas regni, Ioannem de Pibra,³⁵ scribam iudicii camerae regiae et apud tabulas publicas, Ioannem Sslechtam, regium secretarium s. protonotarium, Cristannum Pedik de Kemnitz (in dioecesi Pragensi), qui aliquanto Bohuslao natu maior ab a. 1472. Bononiae didicerat³⁶ et socius studiorum Bohuslai fuerat.

Multa acerba, quae in aula passus est, merces nec sufficiens nec tempestive soluta, praesertim autem desiderium omnia loca, visendi, de quibus a rerum scriptoribus celebratis antea legerat, Bohuslaum commoverunt, ut officio aulico relicto iter in Orientem pararet. Quae ei cum fratribus de patrimonio fuerat controversia,

ita composita est, ut arx Hassensteinia communis esset possessio et Bohuslao duo oppidula cum pagis vicinis obvenirent, quod in tabulas quoque publicas a. 1490. relatum est. Bohuslaus iter circa ineuntem mensem Aprilem a. 1490. ingressus est. Venetias,³⁷ Romam, Pisas, Bononiam, Patavium et iterum Venetias petiit, unde oram Illyrici praetervectus in Cretam, Rhodum, Cyprum et Syriam navigavit et³⁸ in Terram Sanctam iter fecit; deinde Alexandriam,³⁹ Aegyptum,⁴⁰ Hierosolyma et Arabiam adiit, consilium autem Indiae perlustrandae mutavit.⁴¹ Tum oneraria nave Genuensi⁴² in Siciliam vectus est, unde in Africam traiecit, ut Tunetem⁴³ Carthaginisque ruinas viseret.⁴⁴ Rediens Tarentum quoque fortasse adiit. Venetiis mense Augusto a. 1491. itineri finem imposuit, ubi de morte Petri Schotti certior factus est.⁴⁵ E qua peregrinatione⁴⁶ permultos libros secum in patriam portavit.⁴⁷ Fieri potest, ut a Graecia et Constantinopoli et Troade perlustrandis⁴⁸ nuntio episcopatus Olomucensis sibi oblatus sit revocatus. Bohuslaus autem sero revertitur; novus episcopus iam electus est.

Interea enim Matthia Corvino rege Hungariae defuncto (6. Apr. 1490.) rex Vladislaus rex Hungarorum quoque creatus est (15. Iunii 1490.), quem Budam Ioannes Sslecht cancellarius in locum Cristanni Pedik succedens comitabatur, et Protasio de Boskowicz a. 1482. mortuo Ioannes Filipecz s. Pruis, in oppido Prostanio (in Moravia) natus episcopus Waradiensis (Várad in Hungaria), Matthiae regis cancellarius dioecesis Olomucensem administravit, a. 1490. autem monachus ordinis fratrum minorum de observantia (in claustrum Vratislaviensi) factus est. Bohuslaum Iacobus Piso in spe episcopatus Olomucensis adipiscendi confirmavit, Innocentius VIII. papa autem cardinalem Ardicinum (della Porta), qui et episcopus Aleriensis (Aleria Corsicae) quoque fuit, ad episcopatum Olomucensem promoverat. Frustra Udalricus episcopus Tridentinus Bohuslaum epistola ad Iulianum cardinalem missa commendavit.⁴⁹ Ceterum Bohuslaus noster huic negotio nullam operam navavit.⁵⁰

Bohuslaus autumnus a. 1491. domum reversus est; in arcem suam se recepit libris Graecis Latinisque legendis omne tempus consumens.⁵¹ Reducem Victorinus de Wssehrd salutavit. Paulo autem post inter eos lis exorta est, Ioannes enim de Domaslavia carmen, quod Papae mastix inscriptum et vulgo Victorino est adiudicatum, Bohuslao misit;⁵² Bohuslaus enim noster perpetuus haereticorum hostis et fidei catholicae defensor vindexque acerrimus fuit.⁵³

Mortuis Innocentio VIII. (25. Iulii 1492.) et cardinali Ardicino (4. Febr. 1493.) capitulum Olomucense omnibus suffragiis Bohuslaum episcopum elegit, Alexander VI. autem filium sororis Ioannem Borgiam, cardinalem Montis Regalis episcopum esse voluit. Bohuslaus ne tunc quoque operam episcopatus adipiscendi gratianavavit;⁵⁴ in arce Hassenstein eventum rei Olomucensis expectabat. Tandem Stanislaus Turzo, postquam pactum inter eum et Borgiam conventum est, factus est a. 1496. episcopus Olomucensis.⁵⁵

A. 1497. ineunte Bohuslaus commentationem de republica administranda composuit et Petro de Rosenberck misit.⁵⁶ — Hoc tempore (a. 1497.), cum Vladislaus rex Pragae profectus est, per amicum Sslechtam Augustinus Moravus Olomucensis regius secretarius amicus eius factus est.⁵⁷

Bohuslaus a. 1499. Budam profectus est, ut amicos in cancellaria regia viseret et socios Sodalitatis Litterariae Danubianae⁵⁸ nosceret et mercedem officiorum suorum aulicorum annis 1487—90. praestitorum solvendam urgeret.⁵⁹ Non multo post Viennam profectus est, ubi Conradum Celtem⁶⁰ et Hieronymum Balbum⁶¹ cognovit.

A. 1500. Bohuslaus cum baronibus et equitibus, qui iuris regni Bohemiae peritissimi putabantur, in castrum Carlsteyn missus est, ut indicem omnium antiquorum regni privilegiorum colligerent.⁶²

A. 1500. Bohuslaus nova spes episcopatus adipiscendi apparuit. Ioannes Roth, episcopus Vratislaviensis, senio confectus petivit, ut sibi cōadiutor adderetur. Rege Vladislao assentiente Sigismundus Kurtzbach de Trachenberg, camerarius regius, a Bohuslai amicis quoque adiutus hoc munus ei cum iure succedendi comparare studebat. At Bohuslaus maiorem operam, quam cum de sede episcopali Olomucensi bis actum erat, ne nunc quidem rei contulit.⁶³ Ita evenit, ut biennio post Ioannes Turzo, frater Stanislai episcopi Olomucensis, illam dignitatem obtineret.

Interea Bohuslaus communi suffragio praeses Sodalitatis Leucopolitanae (Wittenberg) — Matthaeo Lupino primò praeside mortuo — electus est;⁶⁴ quantum autem novimus, nunquam eo venit.

Sslechta ab amico quaesivit, velletne iterum in aulicorum numero ascribi.⁶⁵ Tandem, postquam huc et illuc multum disputatum est, Bohuslaus die 13. mensis Mai a. 1502. Budam proficiscitur.⁶⁶ Quale autem ei munus ibi obtigerit, ignoratur. Scire autem debemus Vladislao regem una cum cancellaria Bohemica contendisse, ut in aula regia — more aetatis — viris doctis uteretur, inter quos praeter alios Ioannes Sslechta et Augustinus Moravus, veteres Bohuslai amici, numerabantur.⁶⁷ Sed Bohuslaus ne unum quidem annum ibi moratus est,⁶⁸ cum mense Aprili a. 1503. in patriam reversus est.⁶⁹ Stipendium promissum per aliquot annos petitum admodum sero (a. 1507.) ei solutum est.

In arce Hassenstein a filiis fratris Nicolai († c. a. 1499.), Nicolao et Sigismundo, exceptus est. Ibidem morati sunt auspice Ioanne Sturno Smalcaldensi Fridericus Knobloch et Wolfgangus Cadanensis (filius illegitimus Ioannis, Bohuslai fratris),⁷⁰ praeterea Henricus Hrussowsky eques⁷¹ et Sigismundus Knobloch⁷² familia equestri ortus et — Stephano Pisone mortuo — Lucas Componius,⁷³ quo a. 1505. mortuo in eius locum Franciscus Schneittel Tachoviensis suffectus⁷⁴ est: in arce Hassenstein igitur quaedam academia studiis humanitatis colendis condita est.⁷⁵ In hac familia imprimis Bohuslaus et Sturnus facetiis poeticis lepore salibusque conditis alter alterum petebant.

Iterum atque ultimum Bohuslao spes episcopatus Vratislaviensis consequendi orta est. Cum a. 1503. Bohuslaus Buda in Bohemiam rediit, Kuroszwanski, episcopus Wladislawiensis (Wladislaw civitas in Polonia) mortuus est, Bohuslai amici Ioannem Turzonem, episcopum Vratislaviensem, impellebant, ut relicta sede Vratislaviensi eam Bohuslao concederet et Wladislawiensem vacantem susciperet. Turzone consentiente rex Vladislaus rogatione regem Poloniae petiit. Consilium autem nunc quoque in irritum cecidit, nam episcopus Kuroszwanski iam pridem summo pontifice et Poloniae rege haud adversantibus Vincentium Przerebski⁷⁶ coadiutorem cum iure succedendi assumpserat, cui a. 1503. episcopalis dignitas demandata est.⁷⁷

A quo tempore Bohuslaus a negotiis publicis se prorsus removit et in otium litterarium recessit. Quae ratio vitae et pristina honoris ecclesiastici ambitio eum impediverunt, quominus matrimonium iniret. Attamen cuiusdam puellae amore captus esse videtur, de qua quidem nil aliud constat, nisi Charlitae ei fuisset nomen, ad quam octo epigrammata scripsit.⁷⁸ Etiamtum assiduas Bohuslaus eiusque amici, imprimis Iohannes Sslechta et Augustinus Moravus, epistolas inter se dederunt acceperuntque, quae maximam partem ad sua suorumque negotia (sic ad exigendum stipendium ab aula regia sibi debitum a. 1502—03. quoque, quod tum demum a. 1507. accepit) spectabant. Amicitia cum Sslechta a. 1504. exeunte intermissa est, cum hic uxore ducta aulae regiae valedixisset seque in vitam privatam removisset. Qui multa Bohuslao officia praestiterat tam maiora quam minora atque eum de illorum temporum rebus, quae maioris erant momenti, diligenter et copiose edocuerat. In otio rustico Bohuslaus Bernhardum Adelmannum precibus fatigabat, ut sibi libros et instrumenta mathematica et astronomica acquireret,⁷⁹ praeterea de rebus tunc gestis atque itineribus ad terras transmarinas quaerendas susceptis certiores faceret; Bernhardus ab anno 1482. usque ad annum 1507. amico permultos libros comparavit.⁸⁰ Post Bohuslai ex Hungaria reditum in litterarum commercio haud infimum locum Iohannes de Pibra, scriba iudicii camerae regiae tenebat.⁸¹

Poeta noster ultimis vitae annis non prospera valetudine usus esse videtur. Paulo post, quam Hungariam reliquerat, aegrotavit,⁸² quare sperabat fore, ut apud patres Oyvinenses in monasterii solitudine recrearetur. Equadam elegia⁸³ iam obscura mortis contemplatio atque animi tristitia quoque eminet. Pragam postremum a. 1509. adiit, cum regio puerulo, Ludovico futuro regi (1516—26.), filio quattuor annorum Vladislai regis, diadema regium impositum⁸⁴ est. — Ultimam epistolam ad Bohuslaum Adelmannus die 7. mensis Aprilis anni 1510. scripsit.⁸⁵ Deinde de Bohuslao nostro omnino nullum — nisi perierunt — litterarum consuetudinis vestigium ad nostram aetatem remansit.

Bohuslaus a. 1510.⁸⁶ mortuus est et quidem mense Novembri; dies incerta est: sunt, qui dicant eum die 13. vel 14.⁸⁷ esse mortuum, alii die 29. vel 24.⁸⁸ Corpus in oppido Przizeznitz (sunt,

qui dicant, die 19. mensis Novembris) in sepulcro familiae Hassensteinianae est sepultum.⁸⁹ Epitaphium eius hoc est:⁹⁰

Ille Bohuslaus, Boemorum gentis honestas,
Mole sub hac fato raptus ab orbe putret.
Vel Scythia vel Garamas censendus, quisquis ad eius
Non largo tumulum sparserit imbre genas.

Vita Bohuslai hactenus enarrata haud ab re ductum videmus de eius bibliotheca — supplentes pauca superius dicta — plura dicere.⁹¹

Bohuslaus iam ab adolescentia manuscriptis et libris acquirendis maximam curam intendit.⁹² Bibliothecae suae locupletandae gratia multa regna. Europae peragravit, immo Asiam et Africam quoque adiit.⁹³ Venetiis librario Cretensi Aristobolo et Ioanni in Hof quaestori et aliis compluribus negotiatoribus mandata dedit, ut codices et libros sibi coemerent; Bernhardus Adelmannus quoque libros multos ei comparavit;⁹⁴ nulli sumptui parcebat: pro quodam codice Graeco Platonis opera complectenti 2000 ducatos solvit.⁹⁵ E Bibliotheca Corviniana Budensi quoque nonnulli codices — ut videntur — in eius bibliothecam devenerunt.⁹⁶ Catalogum librorum bibliothecae Hassensteininae a Bohuslao hereditate relictæ quoque a. 1570. editum habemus,⁹⁷ quæ in has sectiones discripta est: Graeci autores manu scripti nitidissime⁹⁸ - Latini autores manu scripti - Theologi - Poetae - Astronomi - Medici - Musici - Physici - Historiographi - Philosophi - Iuris-consulti - Varii autores omnium disciplinarum - Codices Graeci. — Testamento tabulis regni inserto legatum est, ut Bohuslao mortuo dignissimus quisque e gentilibus suis, qui doctrinae laude floreret, bibliothecam subinde possideret ac tueretur.⁹⁹ Sigismundus,¹⁰⁰ filius fratris Nicolai, qui a. 1511. rector honoris causa universitatis Vitembergensis electus est, per magistrum Matthiam Aurogallum (Goldhaan) Chomutoviensem, professorem Vitembergensem septuaginta fere volumina viris doctis Vitembergensibus commodavit, quæ, ut videtur, nunquam reddita sunt, in arce enim Chomutoviensi, ut dicuntur, hæc circiter septuaginta volumina a. 1525. igne consumpta sunt.¹⁰¹

B) Opera.

a) Opera, quæ supersunt: Carmina (heroica, elegiaca varii argumenti, satirica, epitaphia, epicedia, epigrammata, eclogae, aenigmata, miscellanea). Epistolae. Scripta moralia¹⁰² (De miseria humana, De avaritia. De felicitate [fragmentum], De philosophorum nugis [fragmentum]). Oratio ad Argentinenses in genere demonstrativo pro Petro Schotto Argentinensi.¹⁰² Memoria Alexandri de Imola.¹⁰²

b) Opera perdita: Annales Bohemiae (ad finem non perducti).¹⁰³ Hodoeporicon.¹⁰⁴ Commentatio de re publica administranda.¹⁰⁵ — Ex epistolis et carminibus quoque certo plura perierunt.

¹ Titulos operum vitam operaque Bohuslai tractantium plenos inferius enumeramus, quorum errores minoris momenti refutare supervacaneum esse duximus.

² Ita nomen arcis plerumque Bohuslaus in epistolis scribere consuevit, siquidem editiones respiciamus.

³ Prochaska a. 1462. natalem Bohuslai affert, hunc enim annum colligit e versibus elegiae Ad XIII divos tutelares de sua peregrinatione (Mitis, ed. d, F2r, p. 67.) paulo post reditum (Aug. 1491.; cf. ep. App. 8.) a Bohuslao compositae:

Nec pelago toties, animi iactatus ut aestu,

Transcendi aetatis bis tria lustra meae.

Hanc opinionem sequitur Cornova (ed. c, p. 6.) dicens Bohuslaum a. 1462. vel haud multo ante esse natum. Truhlár (Humanismus, p. 6.) a. natalem 1460. vel 1461. affirmat versibus supra memoratis et auctoritate Bohuslai nitens, qui in quadam epistola ad Sslehtam scripta (54, 4) se adolescentulum appellavit, cum Bononiae a. 1475—81. Petro Schotto familiariter uteretur.

⁴ Ioannes de Trittenheim Bohuslaum natione Germanum dicit; Mitis „Germanum“ in „Boemum“ mutat (v. Testimonium 4.).

⁵ Hanc aviam Bohuslai fuisse testatur Balbinus (Tabularium Bohemogenealogicum, illustratum ab Ioanne Diesbach, Pragae, 1770.; tabula X. genealogica procerum a Lobkowicz lineae Hassensteinianae extinctae). Cui indicio fides fit per ipsum Bohuslaum, qui in epistola ad Pibreum scripta (106, 5) Georgium de Gutensteyn avunculum suum nominat. At antiquum stemma membraceum „Lobkowiczky stambuch“, lingua Bohemica ab Ioanne a Lobkowicz compositum et in archivo castelli Roudnicensis Lobkowicziani assertatum (sign. XI., Af1.) aviam Bohuslai Annam de Nechwalicz profert.

⁶ Cuius Nicolai frater Ioannes cognomine Popel auctor alterius lineae Lobkowiczianae, de qua est familia Lobkowicziana saeculi XIX. in Germania demigrans ibique vel interiens (Lobkowiczches Stamm- und Denkbuch, 1350—1858.; manuscriptum in archivo castelli Roudnicensis, sign. E 1/20.) vel adhuc vivens (v. Walter Hassenstein, Hassenstein einst und jetzt, pp. 13 41 et sqq. et 139 et sqq.).

⁷ Quae dignitas litteris Brunae (in Moravia) 3. Aug. datis consignata est his verbis: „... Und haben darumb ... den benannten Gebrüdern von Lobkowicz zum Hassenstein [sc. Nicolao et Ioanni (v. comm. 6.)] diese besondere Genad gethan und Sie und Ir Erben Mannesgeschlechte zu freien Herren ... erhöhet“ (v. in archivo castelli Roudnicensis, sign. G. 3. 1.).

⁸ Hic Ioannes iter in Palaestinam ad Sacrum Sepulchrum a. 1473. factum descripsit. (Ferd. Strejcek, Jana Hasistejnského z Lobkovic Putování k svatému hrobu. Sbírká pramenu, coll. I., ser. II., fasc. 4. Pragae, Academia Bohemica.)

⁹ Hoc inde conicere possumus, quod in operibus Bohuslai de matre mentio non fit.

¹⁰ Cornova, ed. c, p. 11. — Gregorius Pragensis in Academia Pragensi a. 1462. magistri gradum adeptus est. — Ioannes Sslehta magistro Petro Piscensi mittens „carmina quaedam in nonnullorum eruditorum patriae nostrae tumulos“ a. 1512. haec scribit: „... in primis vero in M. Gregorii Pragensis tumulum, sub quo ego praëceptore et duce tyrocinii rudimenta in bonis litteris feci. Primum enim in Academia Pragensi Virgilio libros cum explanatione Servii grammatici legere ausus fuit cum nonnullis libris aliorum autorum ex iis studiis, quae humanitatis vocitantur“ (Mitis, ed. d, b2v, pag. 373.).

¹¹ Cf. epigramma ad Henricum scriptum (Mitis, ed. d, N5r, p. 186.). qui familiaris familiae Lobkowiczianae et Calixtinus contumax esse videtur (Truhlár, Humanismus, pp. 7. et 81. et sqq.):

Nos quoque, si nescis, seducti fraude malorum

His fuimus calicemque tuum dileximus: at nunc

Edocti melius Petro Petrique cathedrae

Haeremus: nostro tandem moveare, precamur,

Exemplo et verbis non claude salubribus aures.

¹² Philippus Beroaldus senior in praefatione „Orationis proverbiorum, qua doctrina remotior continetur“ (Bononiae, 1499, alv.) scribit: „Complusculi

ex Boemia scholastici ad capiendum ingenii cultum linguamque comendam in hoc nostrum gymnasium litteratorium quotannis commigrare consueverunt.“ (Ryba, Beroaldus, p. 28.)

¹³ Acta nationis Germanicae univ. Bonon., edd. Friedländer et Malagola, 1887., pp. 219, 44. et 222, 15. — Quod ad nationalitatem Bohuslai Germanicam attinet, v. Testimonium 4.

¹⁴ Schottus Antonium Britoniensem magistrum linguae Graecae Bononiae fuisse proficitur 6. Oct. 1487. haec ad eum scribens: „Ego vero, Antoni, . . . memor sum praeceptorum tuorum, quibus me in Graecis literis erudiisti“ (Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, X3v).

¹⁵ Cf. epp. App. 1, 12; 2, 17; 3, 1., praeterea: Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, X4r.: „... Ferrariam se contulit Bohuslaus fuitque in convictu D. Ladislai presbyteri Vesprimiensis, cui, ut puto, a maioribus erat commendatus in tutelam: a quo se cognovisse de infirmitate Bohuslai narrat (Petrus Schottus) scribens ad eundem scholarem Ferrariensem“: v. Testimonium 2., ubi amicus N. certo hic Ladislaus est. — Truhlár (Humanismus, p. 9., comm. 3.) hunc credit Ladislaum de Boskowitz fuisse, qui titulo praepositi Vesprimiensis ornatus in Italia litteras colebat, sed miratur, quod nomen eius in Bohuslai scriptis numquam commemoratur.

¹⁶ Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, X1r: „Petrus Schottus Argentinensis, dum una cum D. Bohuslao Bononiae anno gratiae 1477. studeret . . .“. — Schottus Parisiis a. 1475. baccalarius artium factus est; a. 1490. moritur (ep. 54, 3). Bohuslaus pro Schotto orationem numquam habitam composuit (v. inferius inter opera Bohuslai).

¹⁷ In epistola Schotti 25. Dec. a. 1477. scripta haec leguntur: „Quas ad me dedisti literas, laeto animo accepi, tum quod te bene valere significabant, tum vero quod comites sibi Musas habuerunt. Plane, quae mihi misisti, carmina hortantur me, ut data commoditate aliquando nostras quoque Camoenas dirigamus, quas baro quidam nobilissimus, gente Boemus, Bohuslaus de Hassenstein, atque ego vicibus mutuis conscripsimus. . . . Tu velim te iudicem adhibeas nec quemlibet temere reprehendentem audias. Scio enim nonnulla esse in eis, quae si grammaticulis offerantur, imperite posita exclament. Quodsi exactionem trutinam adhibeant, mitius mecum agendum censeant. Quicquid erit, mihi rogo denuncies: accipiesque apologiam nostram“ (ep. s, pag. 154r; Truhlár, ed. t, ep. 1.).

¹⁸ Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, X3v: „Fatetur Schottus se quinquennio exacto metu pestilentiae Bononia Argentinam rediisse, propter quam fortasse causam vel potius iuris canonici causa discendi Ferrariam se contulit Bohuslaus“.

¹⁹ Victorinus de Wssehrd (fragmentum epistolae Victorini ad Gregorium Gelenium: Mitis, ed. m, c3v; Truhlár, ed. t, ep. 193. Testimonium 8.) Bohuslaum legum et iuris pontificii doctorem appellat. Mitis (ed. m, Vita Bohuslai, Z3r) refert eum testimonium virtutis atque eruditionis cum insigni doctoratus iuris utriusque accepisse. Schottus Bohuslaum nunquam doctorem nominat. Ioannes de Tritenheim, abbas Spanhemensis, in opusculo „De scriptoribus ecclesiasticis“ (1494.) eum tantum oratorem poetamque et Udalricus episcopus Tridentinus (Mitis, ed. n, B1v; Truhlár, ed. t, ep. 26.) solum iuris peritum et in divinis libris sane instructum memorant.

²⁰ B. A. de Adelmansfelden a. 1457. natus est; a. 1484. canonicus Eystetensis, postea Augustensis factus est; una cum fratre Conrado iuris studio deditus est.

²¹ Udalricus — postea episcopus Tridentinus (v. comm. 49.) — contubernalis Bohuslai fuit. cf. Mitis, ed. n, B1v; Truhlár, ed. t, ep. 26.; „... eundem virum, quem Ferrariae in iisdem aedibus et familiarissime tractavimus et cognovimus“.

²² 26. Mai 1481. Cf. Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, X4r.

²³ Epp. App. 1, 8 12; 2, 8. — Schottus festo Nativitatis Domini a. 1482. sacerdos ordinatus est.

²⁴ Quod Schottus per litteras ad Bohuslaum scriptas acerbissime doluit: ep. App. 3, 1.

²⁵ Cf. epistolam Schotti ad Heinricum Moser: Testimonium 3.

²⁶ Schottus tunc iam canonicus ad S. Petrum Argentini factus est. De Bohuslao se visitanti ipse Schottus in quadam epistola 29. Sept. 1485. ad

Vitum Maeler de Memmingen, artium atque pontificii iuris doctorem scripta meminit: „Dominus meus et frater carissimus Bohuslaus de Hassenstein apud me pluribus diebus fuit et vos omnes nominatim ut salvere iuberem, mandavit“ (ed. s, 42r; Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, X4v—5v).

²⁷ V. Testimonium 3. — Busner Bohuslaum postea in itinere versus Orientem comitatus est; paulo post (1492.) moritur (ep. 24, 1.).

²⁸ Bohuslaus peregrinaturus bibliothecam suam Pisoni custodiendam commendavit (ep. 19, 6.; Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z8r: „... commendavit bibliothecam domi relictam, ut eam praestaret tutam omni ab iniuria“). Piso nunquam deinde a Bohuslao commemoratur, praeter quoddam epitaphium, in quo mortem „Stephani Pisonis, familiaris sui“ praematuram luget (Mitis, ed. d, G8v, pag. 96.); in hoc epitaphio de eo haec scribit;

... per lubrica mundi
Si passu titubante iuit iuvenilibus annis.

²⁹ Cf. ep. 12, 5 et sqq. •

³⁰ Cf. ep. App. 5, 1.

³¹ Cf. ep. 12, 13.

³² Schottus libellum per Fridericum Busner libelli auferendi causa Argentinam missum 5. Febr. 1488. Bohuslao misit (ep. App. 6, 1 et sq.). Ceterum libellus in editione s (66v—72v) editus est cum titulo: Petri Schotti Argentinensis ad Bohuslaum de Lobkowicz, dominum in Hassenstein, virum nobilissimum De Christiana vita salubriter instituenda. (Cf. ep. App. 5, 6 et sqq., praeterea: Mitis, ed. f, C4v et Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, X6v.) — Opusculum octo capita continet.

³³ Mitis, ed. d, a3r, pag. 357.

³⁴ Quae initia Bohuslai satis obscura est. Cf. ep. App. 6, 8—9 et Ioannem de Trittenheim (v. Testimonium 4), praeterea Mitis, ed. m, A2r; Mitis, ed. d, Q1v; Cornova, ed. c, pag. 4. — Bellum (fortasse in Silesia) ideo exortum est, quod rex Vladislaus „ad suffragium de novo imperatore eligendo ineundum“ vocatus non affuerit (ep. 7, 1). Cornova (ed. c, pag. 27.) opinatur scriptores de expeditione Bohuslai ideo tacere, quod gloria doctrinae Bohuslai laudem belli obscuraverit.

³⁵ Cornova (ed. c, pagg. 71, 143, 434) Ioannem de Pibra et Ioannem de Domaslavia eandem personam fuisse credit, quem Tomek (Dejiny Prahy [Memoria rerum Pragensium], 1893., p. IX.) sequitur.

³⁶ Friedlaender et Malagola (cf. comm. 13.), pag. 217, 7.

³⁷ Primam epistolam Venetiis Schotto misit: ep. 17.

³⁸ Iter Bohuslaum hoc ordine confecisse e carmine Ad XIII divos tutelares (v. comm. 3.) scripta et ab aliis litterarum documentis conicimus.

³⁹ Epistola Bohuslai ad Sselnberck ex urbe Alexandria scripta: 18.

⁴⁰ Ryba, ed. h, p. 7, 127. (De miseria humana.)

⁴¹ Ep. 17, 3. Cf. Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z7v: „... post Syriae, Arabiae ac Aegypti perustrationem“.

⁴² Epistola ad Stephanum Pisonem scripta: 19.

⁴³ Ryba, ed. h, pp. 10, 164 et 14. 241. (De miseria humana.)

⁴⁴ Cf. ep. Georgii Fabricii ad Matthaeum Collinum a. 1563. scriptam (Mitis, ed. m A2v—3r): „... sed vester ille non contentus perustrare Europam in Asiam penetravit et Africae quoque litora adiit, suarum fortunarum suaeque vitae periculo: neque id fecit inani quodam spectandi studio, ut solent φιλοθεάμονες. neque ostentationis levis cupiditate, ut φιλόδοκοι, sed ut augetet suam bibliothecam pulcherrimam“.

⁴⁵ Mortuus est 12. Sept. 1490. Cf. ep. 21, 1.

⁴⁶ V. Testimonia 14. (Ulixes noster) et 16.

⁴⁷ Cf. Prochaska: „Ex hac peregrinatione Ulixes noster — ita Bohuslaus passim audiebat — et eruditionem singularem et copiosam librorum omnis generis suppellectilem secum in patriam rettulit“. — Cf. comm. 44. et 93.

⁴⁸ Ut ex epistola Bohuslai ad Stephanum Pisonem scripta elucet: 19, 6.

⁴⁹ Epistola eius Tridenti in arce Boni Consilii 8. Dec. 1490. scripta est: „Ego, qui intellexi ad episcopatum Olomucensem desiderari quendam baronem Bohemiae, Bohuslaum de Hasisteyn, fratrem illius Ioannis, qui olim [a. 1487. in nomine regis Vladislai] orator fuit ad Innocentium, nunc papam nostrum, VIII., existimavi mearum partium esse, ut pro communi utilitate

reipublicae Christianae eundem virum, quem Ferrariae in iisdem aedibus et familiarissime tractavimus et cognovimus, D. V. R. pro veritate valide commendarem. Est enim (per conscientiam meam) praeter nobilitatem, praeter etiam id, quod ex ea est patria, et praeter caetera bona tam externa quam corporis vir plane doctissimus, eruditus Latine et Graece, philosophus, iuris-peritus et in divinis libris sane instructus, unde plurimas sibi virtutes comparavit adeo, ut sit modestus, sobrius, continens, rerum humanarum contemptor, pudicus, castus, ut nihil lasciviae, nihil delictuarum in eo deprehendi possit. Id testimonii per conscientiam meam damus, ut D. V. R., si unquam aliqua est apud eam fides, pro integritate sua, quid inter haereticos pro amplificatione nominis Iesu Christi faciendum esset, certius consulat. (Mitis, ed. n, B1r—v; Truhlár, ed. t, ep. 26.; cf. comm. 21.) — Quae epistola Romam sero perlata est, tunc enim iam res episcopatus Olomucensis diiudicata est. — Rex Vladislaus capitulum Olomucense epistola 2. Dec. 1491. Buda scripta monuit, ut patientia uteretur: „... sciatis, quod non minus nobis hoc cordi fuit, ut bono aliquo et convenienti pastore ecclesiam vestram adornare vellemus, quam vobis ipsis, qui pastore caretis. Fuerat nempe nostri propositi nobili Bohuslao de Hassenstein, viro docto et probo de vestra ecclesia providere, quod nunc per nos ipsos facere non possumus, quum, ut scitis, Romanus pontifex intromisit se de ea re et illam contulit cardinali Allariensi. Tam diu expectastis, expectate adhuc modicum, quum propediem pro magnis et arduis nostris negotiis legatos habebimus apud sedem apostolicam, quibus et de hac re commissionem faciemus specialem; nec dubitamus, quin nobis ad complacentiam facturum sit praefatus dominus cardinalis cum voluntate sanctissimi domini nostri. Nos enim non reliquimus vos nec ecclesiae vestrae necessitatem negligemus, sed operationes nostras sollicitas adhibebimus, ut ipsius status prospere conservetur et exaltetur felicibus instrumentis, ut exinde et vos sub umbra pacis creatori nostro servire et libertatibus vestris ecclesiasticis gaudere valeatis...” (Truhlár, ed. t, pag. 42.).

⁵⁰ De re Olomucensi agitur in his Bohuslai epistolis: 25, 27—34, 37, 38, 44, 51, 171.

⁵¹ Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z3v.

⁵² Cf. ep. 39. et Testimonium 8.

⁵³ Balbinus, Bohemia docta, II., 112.

⁵⁴ A. Frind (t. IV., Prag, 1878., p. 89.) erronee scribit Bohuslaum episcopatum renuisse.

⁵⁵ Capitulum epistola regia 10. Ian. 1497. data certius factum est.

⁵⁶ V. inferius inter opera Bohuslai. Quae commentatio tantum in traductione Bohemica ad nostram aetatem remansit, quam ultimum Truhlár (ed. t, pp. 78—103: ep. 64.) edidit.

⁵⁷ Prima epistola Bohuslai ad Augustinum Moravum scripta, quae ad nostram aetatem remansit, a. 1497. data est (ep. 50.).

⁵⁸ Sodalitas Litteraria Hungarorum paulo ante Matthiae regis Hungarorum mortem († 1490.) condita mox Sodalitas Litteraria Danubiana facta est.

⁵⁹ Stipendium Bohuslai tandem decreto regio die 5. Mai 1499. dato perscriptum est.

⁶⁰ Inter Celtem et Bohuslaum prius ira exarsit, cum Celtis opusculo suo de Arte versificandi et carminum a. 1486. Lipsiae edito quosdam versus Bohuslai suppresso poetae nomine inseruisset (cf. epp. 5 et 6), Bohuslaus autem meritis, quae Celtis sibi de liberalibus studiis colendis et quodam carmine ad Bohuslaum scripto (Ad generosum dominum Bohuslaum de Hassenstein de situ Praegae et sectis et haeresibus in Bohemia; editio nova in hac Bibliotheca Scriptorum: F. Pindter: Celtis, Libri Odarum quattuor, I, 27.) comparaverat, iniuriam sibi illatam ei condonaverat. Bohuslaus itaque cum Celte in gratiam rediit (ep. 53, 3).

⁶¹ Balbus huius anni hieme Sslechta suasore Pragae accitus est, ut studia humanitatis proficeretur.

⁶² Balbinus, Bohemia docta, II., 113.: „Collectionem adornavit omnium privilegiorum literarumque publicarum regni Bohemiae, quae omnibus locis diligentissime ex abditissimis archivorum forulis exquisivit”; et idem (Epit., 225.) dicit hunc codicem sibi auro obryzo esse cariorem. Cf. Franciscus Faustinus Prochaska, De saecularibus liberalium artium in Bohemia et Moravia fatis commentarius, Praegae, 1782., pag. 266.: „...quem sibi

codicem auro contra carum testatus Balbinus ait". (V. Palacky, *Memoria Rerum Boh. (lingua Bohemica)*, t. V., ed. 6., 1906., p. 253.)

⁶³ Cf. epp. 56, 1 et 59, 7—10.

⁶⁴ V. Testimonium 7. et Ioannes Gottlob Boehmius, professor Academiae Lipsiensis, in *Commentariolo De Augustino Olomucensi et patera eius aurea*, in nummophylacio *Sereniss. Princ. Reg. Elect. Dresdae asservata*, Dresdae et Lipsiae apud Ge. Conr. Valtherum 1758. (v. Testimonium 26.) pag. 109. haec scribit: „In Saxonia iisdem temporibus Leucopolitana sodalitas claruit, nuncupata ex Graeco Witebergae vocabulo 'ingeniisque praesertim Matthaei Lupini et Bohuslai Hassensteinii insigniter illustrata. De ea sane in 'Lacónismo tumultuario' Martinus Mellerstadius, is qui primus Academiae Witebergensis fasces obtinuit, ... tradit". — Ceterum hic honor Bohuslao tantum titulus fuit.

⁶⁵ Ep. 56, 4.

⁶⁶ Bohuslaus ea condicione Budam profectus est, ut sibi integrum muneris deserendi arbitrium sibi servaret, quando sibi non arrideret (cf. ep. 78, 8, praeterea epp. 57 62 64 69 71 72 74 75).

⁶⁷ De vita Bohuslai Budae acta cf. ep. Bohuslai ad Adelmannum scriptam: 82, 3.

⁶⁸ Bohuslaus caelo Hungarico assuescere (epp. 82, 1. et 86, 1.) et insolentiam novi cancellarii Alberti Liebstein de Kolowrat sufferre non potuit (87, 5 et 130, 13), quae omnia et ratio totius vitae aulicae sibi munus aulicum invisum reddebant. Bohuslaus vitam suam aulicam in ecloga allegorica „Idyllion Budae" (Mitis, ed. d, Clv—3v, pag. 18—22.) descripsit.

⁶⁹ Cf. ep. 87.

⁷⁰ In hanc tetrada scripsit Bohuslaus epigramma ad Sturnum (Mitis, ed. d, Tlv—2r, pagg. 274—75.):

Manant, ut perhibent, Eoo quattuor horto
Flumina, terrarum quae loca cuncta rigant.
Quattuor enutrit pueros tua, Sturne, palaestra,
Castalio per quos patria rore madet.

⁷¹ Cf. epistolam Simonis Villatici ad Ioannem Hoddeiwini (Mitis, ed. d, blv, pag. 370.): „Cum annis superioribus essem in aula dominorum a Rosis, datus D. Henrico, eiusdem domus tunc adolescentulo, a doctrinis et educatione sub idem tempus vir nobilis D. Henricus Hrussowsky in eadem dominorum a Rosis aula stipendia militiae fecerat, qui antea a puero multos annos in famulicio D. Doctoris Bohuslai a Lobkowicz egerat: ubi ex conversatione viri tanti tam diutina in bonam literaturae venerat cognitionem, qui multa poemata illius habebat et memoriter tenebat: et quia non tepidus erat literarum amator, non raro in Musaeum nostrum venire fuit solitus, visurus studiorum nostrorum exercitia... Anno 1563.".

⁷² Knobloch postea a. 1508. in Germania stipendia faciebat: ep. 136, 1—2.

⁷³ Luca Componio Bohuslaus scriba quoque utebatur (v. Indicem Nominum); de morte eius cf. 93, 3.

⁷⁴ De eo v. Indicem Nominum (epp. 116; 123, 1; 124, 1; 133, 1, 134; 135; 139; 141).

⁷⁵ Cf. Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Y7v—8r.

⁷⁶ Cf. Truhlár, ed. t, pag. 142.

⁷⁷ Cf. ep. App. 18, 3—4.

⁷⁸ Mitis, ed. d, pp. 145 147 180 181.

⁷⁹ Cf. epp. 105, 2 et 129, 13.

⁸⁰ Ut ex ep. App. 19, 3 elucet.

⁸¹ Bohuslao ne titulum quidem Pibrae perspicuum fuisse, quo iste (Pibra) uteretur, inde intellegitur, quod eum (ep. 92, 2) hortabatur, ut sibi nomina officiorum (Pibrae) scriberet; Pibra igitur quis fuerit, admodum obscurum est, item negotium quoque, quod mutuis epistolis tractabatur (cf. epp. 92, 4—5; 93, 5; 97; 100; 101; 106; 152, 3).

⁸² Ut ex ep. 93, 2 a. 1505. scripta colligi potest.

⁸³ Ad Beatam Virginem: Mitis, ed. d, E6r—8r, pagg. 59—63. V. ex hac elegia (E6v, pag. 60.) hoc distichon:

Deficiunt lassi iam multo pondere nervi,
Latius et solito turget aqualiculus.

⁸⁴ Cf. ep. 145.

⁸⁵ Ultima epistola Bohuslai, quae die et mense et anno praedita est, die 28. mensis Februarii a. 1509. scripta est (ep. 145.). In nostra editione ultima epistola (146.), ut certo creditur, a. 1509. data est, etquidem die 15. mensis Septembris. (Epistola ultima Bohuslai in nomine Sturni ad Bernhardum Adelmannum scripta [173.] die 26. mensis Decembris a. 1508. scripta est. Ultima epistola incerti temporis [170.] anno 1507. vel 1508., etquidem 30. mensis Aprilis data est.)

⁸⁶ Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, V8r: "... mortuus est enim 1510." et ibidem, Z1v: "Obiit autem D. Hassensteynius ... anno gratiae, ut supra dixi, 1510."

⁸⁷ Ioannes Sslechts in epistola die 14. Nov. 1512. ad Ioannes Pibreum scripta (ed. d, X4v—5r, pagg. 312—13.) verbis „si non fallor“ additis haec scribit: „Huius duo exacti sunt anni, ex quo Bohuslaus noster de hac misera mortalium vita ad illam coelestem commigravit“. Procopius Lupacius in praefatione Precationum Evangelicarum (Norimbergae, 1577., A2v—3r) haec scribit: „... M.D.LXXVI. 18. Calend. mensis Decembris (id est: 14. Nov.), quo ante annos 101 sepulta est Melnicii Iohanna regina Bohemiae, regis Georgii uxor, biduo videlicet post, quam ibidem esset mortua ... Quo item die (ut m. p. annotavit Iohannes Sslechts etc.) ante annos 66 obiit vir illustris ac generosus dominus Bohuslaus Hassensteynius a Lobkowicz etc. baro Bohemicus, poeta oratorque clarissimus“.

⁸⁸ Teste manuscripto genealogico „Lobkowiczsches Stamm- und Denkbuch“ (v. comm. 6.), pag. 29. Bohuslaus die 29. mensis Novembris naturae debitum reddidit. Ex hoc fonte scimus eum in oppido Przizeznitz humatum et in sepulcro familiae suae esse conditum. — In genealogia Lobkowicziana (sign. E 5/47. in archivo castelli Roudnicensis) a Casparo Boussek, archivario Roudnicensi ab a. 1799. usque ad a. 1828. composita de Bohuslai obitu haec scripta sunt: „1. obiit 29. Novembris 1510. Regenvolscius, p. 177. — 2. Obiit 1510. Dominica ante festum s. Catherinae [id est 24. Nov.], oder ex Sslechtiae coaevi ms. Lupacius saget: 19. Nov. ruhet in Przizeznitz“. (Opera Adriani Regenvolscii E. P., Traiecti ad Rhenum. Ex officina Iohannis a Waesberge bibliopolae. Anno MDCLII. Systema Historico-Chronologicum ecclesiarum Slavonicarum per provincias varias, praecipue Poloniae, Bohemiae, Lituaniae, Russiae, Prussiae, Moraviae etc. distinctarum, libris IV adornatum, continens Historiam Ecclesiasticam a Christo et Apostolorum tempore ad Ann. Dom. MDCL.: v. Testimonium 24.

⁸⁹ V. comm. 88.

⁹⁰ „Liber tumulorum“, Opuscula Simonis Fagelli Villatici, Lipsiae, 1538. (ad finem); Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z1v. — In mortem Bohuslai Sslechts in epistola superius in comm. 87. memorata ad Pibram in aedibus Rosensium procerum die 14. Nov. 1512. haec scripsit (Mitis, ed. d, X4v—5r): „Quamvis hoc ei alios felicioribus ingeniis viros prius ceu debitum munus persolvissse non dubitem; volui tamen et ego, quamvis rustica ac plane agresti Musa, amici mihi aliquando charissimi nominis gloriam merito honore, veluti quodam corolario adaugere, cum hoc munus ille, dum vixit, defunctis carminibus nobilissimis saepe praestiterit“.

⁹¹ Cf. Testimonium 16. — De Bohuslai bibliothecae origine, amplitudine, fatis profusius scripserunt: I. I. Dworzak, Serapeum, t. 4., 1843., pp. 1. et sqq.; Truhlár, Humanismus, pp. 161—63.; E. Gollob, Sitzungsberichte der Wiener Akad., t. 146., diss. 7., 1902—03., pp. 108—26. et 134. et sqq.; A. Biedl, Mittell. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen i. B., t. 71., 1933, pp. 94—119.

⁹² Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, X1v: „... constat D. Bohuslao ingenitam fuisse curam bibliothecae ac eius conquirendae undique eum consilia agitasse iam inde ab adolescentia“. — Petrus Schottus 18. Mai 1484. Argentina ad Ioannem Riedner, professorem artis humanitatis et iuris pontificii doctorem in Ingolstat haec scribit (ed. s, 31v; Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z2r): „Magister Ioannes noster [sc. Ioannes Molitor Rastadensis, praeceptor Petri Schotti, qui iam in urbe Schlettstadt et postea Parisiis ab eius latere fuerat] ... Parisiensem petiit Academiam: itaque Psalterium suum Graecum secum habet. Tu a D. Bohuslao Hassensteynio copiam facile impetrabis, qui originale habet“.

⁹³ Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z2v: „... sibi suisque instruxit Hassensteynae bibliothecam, cuius locupletandae causa suscepit laudatissimam illam peregrinationem in Asiam et Africam“. Cf. praeterea comm. 44. et 47.

⁹⁴ Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z8r: „... thesauros illos insignes..., praesertim autoribus scriptis, auxit. Venetiis enim habuit librarium Cretensem Aristobolum Ioannemque in Hof quaestorem aliosque complures e negotia toribus, quibus stipendia dabat: neque ulli parcebat sumptui, quominus in omnibus fere linguis bonos acquireret autores. Ad eam rem plurimum ei attulit momenti Bernardus de Adelmansfeldia, canonicus Eystetensis“.

⁹⁵ V. comm 98.

⁹⁶ Bibliotheca Corvina, ed. Hung. pp. 24. et 92. (comm. 72. et 73.), ed. Ital. pp. 26. et 100. (comm. 72. et 73.). — Cf. epp. 52, 10; 54, 10; 88, 1; 91, 2; 96, 6; 99, 6; 104, 5; 108, 8; 110, 5; 118, 7 (quidam codex Latinus, Origenes De principiis, Epigrammata Iani Pannonii, Historiae Antonii Bonfinis et Plutarchus). (Cf.: Mitis, ed. d, p. 158.: de codicibus Plutarchi et Trapezuntii.)

⁹⁷ Catalogum Mitis edidit in ultima parte Appendicis Poematum (ed. d, c8r—e5v), de quo 25. Apr. 1570. ad Georgium Fabricium haec scribit (ibidem, e7r et sq.): „Edidimus tandem (quod felix faustumque sit iuventuti lit, et nostrae spei et rei nihil obsit) partes duas poematum D. Bohuslai cum ipsius bibliothecae catalogo, quem a D. Christophoro Carlovicio, nobiliss., eruditiss. et humaniss. Germanorum Sacrique Imperii equite aur. hereditario, et accepimus et pro genuino deprehendimus ex literis D. Philippi Hasistenii“. — Post Mitem Balbinus quoque edidit catalogum (Bohemia docta, ed. Ungar, t. III., 1780., pagg. 211—29.). — In hoc catalogo tituli librorum post a. 1510. impressorum quoque inveniuntur. Bibliothecam novis libris quoque auctam testatur epistola Philippi a Lobkowicz ad patrum Sebastianum scripta (Mitis, ed. d, e6r—v): „Catalogum librorum bibliothecae Hasisteniae... in arce Hasisteyn reperi, etsi non unius librarii manu scriptum, quemadmodum coram retuli: ex characteribus tamen antiquum esse cognovimus. Hunc ad te mitto, ut, si placuerit, describit cures“. (Cf. comm. 100.)

⁹⁸ Inter hos codices manuscriptos Graecos, quorum paulo superius mentionem fecimus, memoratur Plato Graecus nota addita: 2000 ducat. Mediol. emptus“. Qui codex saeculo XIII. vel XIV. scriptus etiamnum in Bibliotheca castelli Roudnicensis Hassensteinii asservatur; hoc pretio, ut creditur, admodum care emptus est. Fabricius dimidium pretii affert. J. Král textum codicis pravi ducendum comprobatur in libro periodico philologico: Listy filologické, 1884., pag. 33.

⁹⁹ Mitis ad Bohuslaum iuniorem a. 1570. haec scribit (ed. n, A8v): „... Bibliothecam, de qua dicitur cavisse testamento, quod in Tabulis Regni extat, ita, ut sit penes doctissimum e suis gentilibus“.

¹⁰⁰ Curam bibliothecae locupletandae habuit hic Sigismundus, qui discipulus Sturni fuerat. (Cf. comm. 97.)

¹⁰¹ Inscriptio catalogi bibliothecae Hassensteiniae haec est (Mitis, ed. d, c8r): „Bibliothecae Hasisteniae Catalogus postremus librorum residuorum post miserabilem illam circiter LXX voluminum conflagrationem in Arce Chomutoviensi.“ Haec conflagratio secundum Carolum Jentscher (Die königliche Stadt Komotau, 1885., p. 31) die 2. Augusti 1525. facta est. Hunc annum, quo domini de Weitmile Chomutoviam usque ad annum 1560. (cf. Mitteil d. V. ... t. 23., 1885., pag. 253.) obtinebant, etiam Matthaeus Meisner affert (Ephemerides, p. 25.): „1525. Den 2. August. Stadt Kommothau brannte zum zweytenmahl ab. Vae genti peCCatrici, naMqVe terra sVCCensa est IgnibVs“ (v. Mitteil. d. V. ... t. 23., 1885., pag. 259.). — Mitis in carmine nuncupatorio „Ad magnificam et nobilissimam Bohemiae familiam a Lobkowicz et de Hasi-steyn etc.“ e bibliotheca Bohuslai 700 volumina mutuo data et 800 volumina igne consumpta scribit (ed. d, A7r—8v):

Haec nisi Bibliotheca foret, Germania tantis

Nec tot floreret multiplicata libris.

Hinc ea septingenta immensa volumina sumpsit,

Ast octingenta Mulciber igne tulit.

In erratis autem (ed. d, pag. 203.) Mitis haec annotat: „pro Ast octingenta lege ita: Chomutovii etc.“ (propter versum autem certo pro „Ast octingenta“.

legendum est „*Ast Chommutovii*“. Fieri igitur potest, ut Mitis postea certior factus est eadem septingenta volumina igne esse consumpta Chommutovii, quae e bibliotheca Bohuslai mutuo data sint. Septingenta in carmine certo hyperbola (amplificatio: figura poetica) pro septuaginta est, maior enim fides danda est inscriptioni catalogi superius memorati, quae tantum 70 volumina memorat. Ceterum Mitis alibi quoque 700 volumina memorat (ed. d. e7v—8r): „... e qua [bibliotheca] 700 volumina per Matthaeum Aurogallum D. Sigismundo a Lobkowicz, Vittebergensis Academiae tum temporis rectori sunt advecta“. Prochaska quoque (p. 311.) Mitem secutus de septingentis voluminibus dicit. — Certum habemus tam multa volumina mutuo dari non potuerunt: Sigismudus 70 volumina universitati Vitembergensi mutuo dedit, quae in arce Chomut. wiensi a. 1525 igne absumpta sunt, sicut Mitis quoque commemorat (ed. d, e8r): „... et postquam satis usi his fuerant M[artinus] L[uther] et Phil. Mel[anchthon] et alii, reportata [sunt] Chomutoviensem in Arcem: hac deinde incendio vastata, perierunt et ipsa, neglectu Domini Arcis et velut ad ignem damnata suspicione haereseos“. — Cf. Mitteil. d. V... t. 23, 1885., pp. 259—60.

¹⁰³ Scripta Moralia, Oratio ad Argentinenses et Memoria Alexandri de Imola novissime edita sunt in hac Bibliotheca Scriporum (Bohumil Ryba, 1937.).

¹⁰³ Codex manuscriptus Annalium olim in Bibliotheca Hassienia asservabatur, sicut in catalogo eius invenimus: Latini autores manu scripti: Herois Bohuslai nondum absolutus libellus Chronicorum Boh. (ed. d, c8r, p. 399.). — Victorinus de Wssehrd a. 1501. Bohuslaus historicum veritate insignem appellat atque extare historias multas, quae doctrinam eruditionemque eius testentur, affirmat (Testimonium 8.). — Bohuslaus, sicut in epistola 13, 60 scribit, consilium historiae rerum Bohemicarum scribendae agitavit et (9, 7) res exterarum nationum historicas quoque requisivit et, ut ex epistolis 13, 1 et 155 elucet, fontes historiae patriae adiit et, sicut ex elegia ad Bernhardum Adelmannum scripta (ed. d, C8v—D3v, pp. 32—38.) quoque videtur, in qua historiam Bohemiae a Primislao usque ad regem Venceslaum IV. paucis versibus (Hae gentes... dedecus omne sui) contextuit, studio historico operam navavit. — Thomas Mitis 25 Apr. 1570. Georgio Fabricio haec scribit (ed. d, e8r): „Bohuslai Hasisteinii Annales nostros una cum Hodoeporico suae peregrinationis Cadana expecto. Eos ubi assecutus fuero, tecum communicabo“. — Balbinus (Bohemia docta, ed. Ungar, t. II., p. 112.) haec scribit: „Illud maxime dolendum Annales Bohemiae, quos Bohuslaus scripserat (nusquam certe apparent), periisse“. — Hoc opus Bohuslai perditum commemorat Caspar de Niedbruck quoque (ep. 27., p. 60. et ep. 33., p. 73. Mencik).

¹⁰⁴ R. Ungar (Balbinus, p. 114.) haec scribit: „Praeter Annales a Balbino commemoratos (v. comm. 103.) scripsit etiam Hodoeporicon peregrinationis suae soluta oratione, ut Thomas Mitis in epistola sua ad Georgium Fabricium scripta meminit“ (v. item comm. 103.).

¹⁰⁵ Hanc commentationem in forma epistolae Bohuslaus ad Petrum de Rosenberck regni Bohemiae summum capitaneum, electum post Vladislai regis e Bohemia discessum (mense Iulio a. 1497.) scripsit. Textus originalis huius commentationis periit, habemus autem de ea interpretationem Bohemicam a Gregorio Gelenio confectam, cuius manuscriptum a. 1513. confectum in Bibliotheca Nationali et Universitatis Pragensis (sign. XVII D 38, anni 1513.: Collectio Gregorii Gelenii [Rehor Hruby z Jeleni] foll. 57—81.) asservatur. Versionem de hoc codice primum edidit J. V. Zimmermann, Pragae, 1818. deinde Truhlar (ed. t., ep. 64., pagg. 78—103.) Quia haec commentatio formam epistolae et magnitudine et argumento excedit, ideo non spectavimus ut epistolam (perditam), sed commentationem (perditam). — Gelenius versionem Commentationis Bohuslai in collectionem similes sententias continentem suscepit, quam collectionem a. 1513. senatui Veteris urbis Pragae dedicavit normas proponens, quibus in magistratu suo administrando uteretur. — Bohuslaus in „quendam“ interpretem carminum acerrime invehitur (edd. i et d, pag. 42.) bipedem asellum istum appellans, quo carmine probroso sine dubio Gelenius significatur. (Cf. Testimonium 8., ubi Victorinus de Wssehrd de controversia sua cum Bohuslao facta ad Gelenium scribit.) Quia in hoc carmine de carminum interprete agitur, verisimile est Gelenium non Bohuslao vivo, sed paulo post eius mortem hanc commentationem in linguam Bohemicam traduxisse.

C) Testimonia in Bohuslaum (soluta oratione) scripta.

1. — *Ex epistola Petri Schotti ad Sigismundum Gossenbrot Augustensem scripta*:¹⁰⁶ "... Quorum¹⁰⁷ ego exempla secutus Bohuslaum illum lucem patriae suae pro dignissimis praeconiis vocitavi.¹⁰⁸ Ita enim tibi persuadeo virum eum esse, qui cum summa nobilitate summam possidet sententiarum elegantiam adeo usque, ut Vladislao,¹⁰⁹ Bohemorum rege, quam familiarissime utatur, nimirum totius regni futurus illustrator, cum, ut te¹¹⁰ non fugit, beatissimas eas res publicas Plato arbitretur, quas sapientiae studiosi regant."¹¹¹

2. — *Ex epistola Petri Schotti ad amicum N. scripta*:¹¹² "... Unum te vehementer orarem, si non ultro id te facturum confiderem: ut Bohuslao, viro ut optimo ita carissimo mihi, si nondum firmior sit redditus, curam adhibeas. Vereor enim, ne (quam morbo) aegritudine animi, quam ex morbo contraxit, amplius conficiatur. Quamquam iampridem, quae dei est benignitas, convaluisse eum sperem."¹¹³

3. — *Ex epistola Petri Schotti ad Henricum Moser, iuris pontificis professorem, a. d. V. Kal. Nov. 1486. Argentina scripta*:¹¹⁴ "... De consortibus nostris Bononiensibus dominus¹¹⁵ Bohuslaus, nunc archicancellarius regni Bohemici, anno superiori¹¹⁶ Argentinae me revisit et perquam plures¹¹⁷ dies apud me moratus est. Fridericus Bussener in comitatu et familia eius est."

4. — *Ioannes de Tritthenheim abbas Spanhemensis, De Scriptoribus ecclesiasticis (a. 1494.)*:¹¹⁸ "Bohuslaus de Hassenstein, natione Germanus, vir nobilis et undecunque doctissimus, orator et poeta insignis, qui praeter consuetudinem ceterorum nobilium huius temporis et arma tractat et mirabili studio litteras colit, fovet et celebrat, ut velut alter Plinius Secundus etiam militando libros et carmina conficiat. Scripsit tam metro quam prosa quaedam praeclara opuscula, quibus nomen suum notificavit... Vivit usque hodie in

¹⁰⁶ Ed. s, fol. CVIIIv et ed. r, pp. 126—27.; quaedam pars in ed. m, Mitis, Vita Bohuslai, X1r.

¹⁰⁷ Sc. Vergilii (Aen. 2, 281.): Hector ab Aenea in somnis "O lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum" appellatur, et Horatii (sat. 1, 7, 24.): Brutus a Persio negotiatore Clazomenio sol Asiae nominatur. Cf. praeterea epigr. (Kaibel, 978, 3—4.), in quo Augustus ἄστρον ἀπείρασ 'Ελλάδος nuncupatur.

¹⁰⁸ In quodam epigrammate (ed. s, fol. CLIVv et ed. m, X1r), quod incipit: "O lux Boemorum..."

¹⁰⁹ Pro Vladislao erronee scribit Schottus: Vratislao.

¹¹⁰ Verisimiliter errore typographi pro „te“ legitur „se“, quod ed. m quoque sequitur: v. comm. 111.

¹¹¹ In ed. m: "Idem [Petrus Schottus] in epistola ad Sigismundum Gossembrot [sic] Augustanum: Virgilii, inquit, exempla secutus, Bohuslaum illum [Hassensteinyum] lucem patriae suae pro dignis praeconiis vocitavi. Ita enim... Wladislao Boemorum rege... u[t] se non fugit, ... regnant."

¹¹² Ed. s, fol. CXVIIIr et ed. r, p. 127.

¹¹³ Haec epistola ad morbum Bohuslai Ferrariensem (a. 1481—82.) pertinet, de quo in ep. App. 3. quoque mentio fit. — N., cui epistola inscripta est, Iacobo Wimphelingo, editori editionis s, ignotus est; certe Ladislaus presbyteri Vesprimiensis fuit (cf. comm. 15.).

¹¹⁴ Ed. s, fol. LVIIIr; Mitis ed. m, Vita Bohuslai, X4v—5r; ed. r, p. 128.

¹¹⁵ Bononiensibus accipe. Dominus m

¹¹⁶ superiore m

¹¹⁷ per complures m

¹¹⁸ Editio prima. Editio secunda: De scriptoribus ecclesiasticis Dissertissimi (s c) viri Iohannis de Tritthenhem, abbatis Spanhemensis, Parisiis, 1512., fol. CCVII. (cf. ed. r, p. 12.). Nos textum ex editione secunda edidimus. Haec pars edita est: ed. m, A2r et ed. d, Q1v. — Variantes lectiones ad ed. m: Bohuslaus de Hassensteyn, natione Boemus, vir undequaque - caeterorum - temporis] tempestatis - literas - Hassensteyn - rege anno Domini 1494. — Variantes lectiones ad ed. d: Bohuslaus de Hasisteyn, vir - undequaque - temporis] tempestatis - Maximiliano I. - praestantissimo om. — Cf. Cornova, ed. c, p. 4.

castro suo Hassenstein et varia conscribit sub Maximiliano Romanorum rege praestantissimo anno domini MCCCCXCIII. indictione XII.¹¹⁰

5. — *Ex epistola Hieronymi Balbi ad Ioannem Sslechtam scr. pta Vienna 13. Martii (1499.)*.¹¹⁹ „... Ego quidem pro nostra mutua benevolentia toti Bohemiae gratulor, quae, cum olim re bellica caeteris praestaret regionibus, iam etiam eloquentia et Musis facile excellit. Quis enim vel Bohuslaum Hasistenium versu, vel te oratione pedestri audeat provocare? qui velut duo fulmina toti orbi tonatis? ...“

6. — *Ex epistola Hieronymi Balbi ad Ioannem de Sselnberg, supremum regni Bohemiae cancellarium (1500.)*.¹²⁰ „... Is [Bohuslaus de Hasensteyn] procul dubio mihi videtur esse, cui ex Italia (facessat adulatio) unus aut alter, ne dicam, nemo conferri possit. Ita enim velim, mi patrone, tibi persuadeas, Bohuslaum hac praesertim tempestate facundia, eruditione, ingenuitate, candore nulli ex primo loco cessurum. Hic, inquam, hic est (quod qui negat, meridiem lucere negat) totius sapientiae fons uberrimus ...“

7. — *Martinus Mellerstatt*.¹²¹ „*Laconismus tumultuarius*“ (1501.): „... Adest litteraria phalanx Danubiana Leucopolitanaque, quarum imperatores et praefecti existunt Conradus Celtis et illustris ille Bohuslaus Hassensteinus, qui nuper communi suffragio, postquam Matthaeus Lupinus heu nimium immature occidit, eam praefecturam administrare coepit.“

8. — *Victorinus de Wssehrd ad Gregorium Hruby, alias Gelensky, patrem Sigismundi Gelenii (a. 1501.)*.¹²² „... Sed ut video, domestica te plus externis iuvant; etiam in hoc tibi multos, et eos quidem claros demonstrabo viros, qui ut ingenio me, ita rerum variarum scientia usuque ac experientia vincunt. Nam si eloquentiam respicias, mutum me prorsus ac elinguem eorum comparatione deprehendes. Qui sint hi, iam dudum te auscultantem ac arrectum aures stare video. Habes Bohuslaum Hassensteinium, legum et iuris pontificii doctorem, historicum veritate insignem, poetarum poetam maximum, sive quempiam laudet, sive vituperet: cuius iam numerosa foetura non Bohemiam solum, sed finitimas etiam terras implevit. In omni genere copiosus. Extant enim historiae multae, quae doctrinam eruditionemque eius testantur: nec carmina varii generis desunt. Habes heroica, elegiaca, nec satyram intentatam reliquit: epitaphiorum vero acervi leguntur, epistularum quoque diversi generis copia. Philippicas etiam in me evomuit. At ego laudem eius et vituperationem (quantum ad me pertinet) iuxta repono. Aequa enim laus est a laudatis laudari¹²³ et improbari ab illaudatis.“

9. — „*Oratio de laudibus nobilissimi ac clarissimi viri D. Domini Bohuslai Hassstensis per Rodericum Dubravium Bohemum, I. U. Doctorem*“.¹²⁴ „... In filiarum elocatione amicis suas facultates suppeditat: quoniam hac semper fuit sapientia, ut nihil homini esset praestantius quam si suas opes ad munificentiam liberalitatemque conferret... Nunquam in scientias obscuras atque difficiles easdemque non necessarias suam operam confert nec a litterarum studiis, ut opes, arma, potentiam nanciscatur, se alienum praestat ...

¹¹⁰ Ed. d, b1r, p. 369.; ed. t, ep. 66. (p. 105.); cf. Truhlár, Humanismus. p. 85.

¹²⁰ Laurentii Sspani ed. „Hieronymi Balbi libri continentis Bohemiae et procerum eius laudes“, Pragae in officina typographica Georgii Melantrichi ab Aventino a. 1560., A5v—B3v; ed. d, a5r, p. 361; ed. t, ep. 76. (p. 116.); invenitur praeterea epistola in codice Lat. Bibl. Nat. Vindob. 3510., saec. XVI., foll. 49r—54r.

¹²¹ Klüpfel. De vita et scriptis Conradi Celtis, Friburgi, 1827., II., p. 85.; Truhlár, Humanismus, p. 112.

¹²² Cf. ed. m, c3r—v; ed. t, ep. 193. (p. 215.); Truhlár, Humanismus, pp. 70—71.

¹²³ Marcellinus, Vita Thucyd. 35.: 'Ο γὰρ τοῖς ἀρίστοις ἐπαινούμενος καὶ κεκριμένῃ δόξαν ἀνάγκαστον εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον κέκτηται τὴν τιμὴν. Büchmann, 22., p. 480.

¹²⁴ Cf. ed. f, C1r—3v; ed. d, c2r—5r, p. 387—93.; Truhlár, Humanismus, p. 105. et ep. App. 14, 7. — Hanc orationem Rodericus Dubravus ex Italia domum reversus post a. 1501. composuisse videtur. — Variantes lectiones in ed. d: in tit.: Hasistenii - Dubrawium - in fine: in omnibus suis] in omnibus

In agendis rebus omne consilium, omnem diligentiam adhibet. Ex quo fit, ut ea, quae futura sunt, cognoscat nec fortunae imperiis parere cogatur. Imitatur Scipionem illum Africanum, qui pulchrum esse arbitrabatur, ut, quae aggrederemur, ea prius diligenti consilio agitaremus, ne aliquando dicendum esset: non putaveram . . . Nunquam a iusticia se alienum praebebat, sine qua nulla imperia diuturna esse possunt. Est religionis observantissimus: quaecunque ab eo aguntur, ad religionem refert. Nihil inchoat nisi invocato Dei praesidio; alieno abstinet; qui se mutuis odiis prosequuntur, eos ad concordiam hortatur . . . Non praetermittit iuris civilis scientiam, cuius discendae summum capit ipsum desiderium . . . Si aliquam improba fortuna ei iacturam intulit, aequo fert animo. Nec, quanta sit temperantia, omittendum existimo: siquidem rationi, quae homines a bestiis seungit, obtemperat, voluptates aspernatur, quoniam nihil hominis praestantius minus dignum esse existimat quam voluptate detorqueri. Nulla eum cibi ac potus capit voluptas . . . Ab eo omnis abest loquacitas; quae naturae contraria sunt, ea vitanda putat: in omnibus suis actionibus aequitatem servat. Quod sibi ineunte adolescentia genus vitae delegit, in eo constantissime perseverat . . ."

10. — *Mag. Wolfgangus Plick, professor Academiae Lipsiensis*:¹²⁵ „Libellos quatuor¹²⁶ generosi magnificique viri D. D. Bohuslai de Hasisteyn Baronis Bohemici, nostro iam aevo et in Latinis et in Graecis peritissimi, publice (Deo annuente) interpretari auspicabimur, quos, candidi iuvenes, emite, audite, lecite et vos, venerandi senes, colite, animum in eis pascite, benigne exhortor. Aeris exigui nullum poenitebit. Si quem vero poenituerit, hic se bonas odisse et penitus ignorare literas fatebitur."

11. — *Ex epistola Ioannis Sslechtlae ad Mag. Petrum Piscensem (a. 1512.)*:¹²⁷ „Scripsi diebus superioribus carmina quaedam in nonnullorum eruditorum virorum patriae nostrae tumulos, qui mihi, dum fata sinebant, singulari amicitiae nexu devicti fuerant . . . Scripsi etiam in tumultum Bohuslai Baronis de Lobkowicz et Hasisteyn, hominis sicut nobilitatis stemmate, ita omnium bonarum disciplinarum eruditione egregie ornati: cuius multiplici doctrina patria nostra, dum vixit, iuste et merito apud externos gloriam potuit, dum acumine et splendore ingenii cum ipsis Italis, nedum cum Germanis certare videbatur. Ille me vivens tanto amore, tanta benevolentia prosequabatur, quanto maiore nec sanguine coniunctos prosequi potuit: eius amicitiae et amoris erga me certissimos ac fide dignos testes habeo, pocula videlicet et calices argenteos, inauratos, mirabilique ingenio affabre factos. Habeo et carmina nonnulla nobilissima, quibus mihi (amoris affectu deceptus) longe plura in studiis literarum tribuit, quam ego in me unquam deprehenderim . . ."

12. — *Henricus Bebelius Iustingensis: Opusculum, qui auctores legendi sint ad comparisonem eloquentiae*:¹²⁸ „At hodie sunt apud nos multi, qui non modo multiuga eruditione, verumetiam tersissima oratione et carmine etiam cum ipsis Italis contendere possint quam gloriosissime, quos ego de industria silentio praetereo . . . Bohuslaum scilicet de Hassenstein, nobilissimum in Bohemia Regulum Baronemque vulgo nominatum, cuius sive prosam orationem legas sive carmen, nulli comparabis recentium, sed veteribus tam poetis quam oratoribus elegantissimis, quos expressissime effinxit aequavitque mirifice. Alter est . . . Itel Vuolffus de lapide¹²⁹ Suevus."

¹²⁵ Plick paulo post Bohuslai obitum scholas c. a. 1510. promulgavit his verbis, quae Mitis edidit in ed. d, A7r.

¹²⁶ Ryba (ed. r, p. 8.) comprobatur quatuor his libellis Bohuslai opera significari, quae in Opusculis a. 1509. editis Bohuslao adhuc vivo edita sunt; nos haec Opuscula littera p significavimus (v. inferius).

¹²⁷ Ed. d, b2v et sqq., pp. 372. et sqq. et ed. t, ep. 199., p. 226.

¹²⁸ Opusculum, qui auctores legendi sint ad comparandam eloquentiam (ad comparisonem eloquentiae), haec duo opera Bebelii collectanea exhibent: a) Oratio ad regem Maximilianum . . ., ex aeditis T. Anshelmi, Phorce, 1504. [in British Museum. sign. 12.252, bb 1)], b) Opusculum . . . de instit. puerorum . . ., Argentorati in aedibus Schurerianis, anno MDXIII. mense Maio; nos partem ex hac editione posteriore edidimus de folio 16v [in British Museum, sign. 8.306, bbb 14)].

¹²⁹ Eitelwolf (Adolf) von Stein.

13. — *Ex epistola Ioannis Sslechtæ ad Stanislaum Turzonem, episcopum Olomucensem, oppido Kostelicio ad Albim fluvium prid-e Kal. Maii a. 1522. scripta*:¹³⁰ „Scripsi, pater reverendissime, ante annos viginti, cum adhuc in Pannonia apud serenissimum quondam principem Wladislaum, Hungariae Bohemiaeque regem, munus secretarii obirem, dialogum quendam, cui Microcosmi nomen indidi, in quo de utraque hominis parte agitur, hoc est corporis et animae... Misi memoratum libellum recognoscendum et emendandum magnifico quondam viro, Bohuslao ex Lobkowicz, Baroni ex Hasisteyn, amico meo singulari: qui fuit vir profecto acris ingenii emunctaeque naris,¹³¹ memoria insuper admirabili, facundia ubere, sive quid carmine, sive soluta oratione dicendum scribendumve fuisset; cuius rei si quis a me testimonium exigit, libri id eius plurimi, tam soluta oratione quam etiam carmine scripti, demonstrabunt, ex quibus facile quis viri illius eruditionem, sicut leonem ex unguibus, aestimare poterit...“

14. — *Ex epistola Sigismundi Gelenii ad Georgium Fabricium Chemnicensem scripta*:¹³² „Cum ultro te amare coeperim, Fabrii doctissime, illectus fama tui nominis: nunc post tam amicam epistolam acceptam, qua me hortaris, ut viri generosi Bohuslai Hasisteynii, Ulyssis nostri, monumenta ad te mittam, quantum ad hunc nostrum affectum accesserit, facile conicere potes. Equidem sic existimo, etiamsi nihil privatim ad hoc invitaret, deberi tamen publice favorem, quotquot sunt, talis viri similibus, qui et seculum suum et patriam excellenti eruditione ornavit... Basileae MDXLV.“

15. — *Ex praefatione Philippi Melancthonis in Cantilenas M. Wenceslai Wodniani*:¹³³ „... Ac multis seculis fortitudine et usu militiae gens Bohemica vicinis omnibus antecelluit. Cumque ante annos centum ibi multa membra doctrinae Christianae illustrata sint, studia literarum floruisse in ea gente apparet... Nunc quoque multi boni et docti viri in familiis nobilibus et plebeis ibi nati vel studia doctrinae passim iuvant vel regum consilii intersunt. Extant scripta luculenta Bohuslai Hasisteinii...“

16. — *Ex litteris Laurentii Sspan a Sspanow ad Christophorum de Lobkowicz, dominum in Bilina et Kost, Kal. Febr. a. 1560. Praga scriptis*:¹³⁴ „Negare non possumus ex gente Bohema prodiisse multos, qui non solum virtutum splendore antiquos homines aequarunt, sed et pietate, quae verum herois decus est, superarunt longe. Non petam longinqua exempla, non remotiora inspiciam tempora nec multorum numero nostras augebo laudes, quamvis proclive mihi esset recensere quam plurimos. De unico Bohuslao Hasisteino, Barone ex praecipua familia nato, pauca recitabo. Natus fuit Bohuslaus ea aetate, qua barbaries foedissima literas humaniores opprimerat ita, ut vix Itali tum patrii sermonis nitorem asserere potuerint. Is cum et optimo loco et re lauta esset, ut vel citra literarum adminiculum ad dignitatum fastigia conscendere posset, tamen et has magnum ornamentum esse intellexit eaque in illis ingenii felicitate et profectu versatus est, ut paucissimos tum Italiae pares haberet. Et poterat quidem ille ea laude ad suos redire, ut prae vicinis regionibus solidioris eruditionis titulo suam decorarit patriam, nisi ad hunc summum splendorem peregrinationibus variis Ulyssis exemplo multarum rerum experientiam sibi comparare voluisset. Circuit itaque terras et maria, non animo ocioso et spectator tantum, sed ad exemplar rerumpublicarum praecipuarum suum composuit animum et hunc prudentia, iusticia, temperantia, fortitudine, quae in heroe nato requiri videbantur, instruxit. Ad haec intrinseca bona adiunxit externa quoque, non tamen communia. Nam ut ab aliis natura eum singularibus segregaverat dotibus, ita nec affectus cum ipsis congruos habuit. Itaque dum alii in tali statu gemmis et auro suos faciunt thesauros, Bohuslaus noster optimam gazam, bibliothecam

¹³⁰ Ed. n, Hlv—2r.

¹³¹ Hor. sat. 1, 4, 8.; Phaedr. 3, 3, 14.; Cosmas, Chr. Boh., I. A5v; Mart. Luther, praef. a. 1545.

¹³² Ed. d, A4r—5r.

¹³³ Cantiones evangelicae ad usitatas harmonias, quae in ecclesiis Boemicis... canuntur, accomodatae... auctore M. Wenceslao Nicolaide Vodniano, Vitebergae excudebant haeredes Georgii Rhaw, 1554. — Ed. d, clr, p. 385.

¹³⁴ Ed. d, c5r—7r, pp. 393—97.

praestantissimis quibusque authoribus refertam, collegit non sine magnis impensis, cuius etiamnum testes sunt domini Fuggari, quorum opera ad hoc in Graecia usus est; ex qua tandem bibliotheca non parva accessio ad studiorum laudes Germaniae facta est, quae una nobiscum plurimum se Bohuslao debere fateri non erubescit. Ut autem natalium splendore, prudentia, doctrina, multarum denique rerum cognitione et usu excelluit heros iste: ita et singulari fuit modestia et ea in studiosorum hominum ordinem humanitate, benevolentia et liberalitate, ut vel solo hoc nomine doctissimorum et optimorum virorum animos unice sibi devinxerit. Quibus de causis merito ipsius nomen et memoriam honestam in posteritate conservandam censeo. Neque vero quicquam fingo nec ex rana Dianam facio,¹³⁵ sed bona fide de Bohuslao hanc narratiunculam institui, occasione et testimonio viri doctissimi et quidem peregrini huius Hieronymi Balbi Itali, in cuius scriptum¹³⁶ nuper incidi...

17. — *Ex epistola Georgii Fabricii ad Matthaeum Collinum XIII. Kal. Febr. a. 1563. scripta:*¹³⁷ "... Adhortor autem vos, ut nihil relinquatis intentatum aut inexpertum ad illum heroem vestrum ornandum ei quasi suscitandum a mortuis ..."

18. — *Ex litteris Simonis Fagelli Villatici ad Ioannem Hoddeiovinum a. 1563. scriptis:*¹³⁸ "... Ex facie hominem non novi: eruditionem eius tamen a Hieronymo Balbo, Augustino Moravo et Erasmo Pinifero Sarmata, viris clarissimis, audiavi non laudari tantum, sed admirari etiam alterumque Ianum Pannonium dici. Ac dum Bononiae studiorum causa agerem, illic Ulricus Huttenus Franco, quem Erasmus Roterodamus delitias suas dicebat, multum mecum instituit sermonem, eius D. Bohuslai scilicet ratione, retulitque patrum suum, virum quendam magnum, de eo multa sibi retulisse consensuque multorum eruditorum quorundam palmam in versu heroico scribendo in Germania sibi fuisse delatam. In libraria D. Doctoris Augustini Olomucii vidi legique scriptam erudito carmine collationem Wladislai et Mathiae regum per Bohemum quendam, cuius nomen longo tempore obscuratum excidit. Isthic hoc distichon excepi scriptum sane feliciter:

Prima Bohuslaus, Cornelius altera lux est:

Sidera nos alii, sed sine luce sumus.

Existimationem D. Bohuslai nostris quibusdam notiozem esse velim. Abest enim eorum opinio non parum a vero. Anno 1563."

19. — *Ex epistola David Chytraei, professoris Academiae Rostochianae, ad Thomam Mitem a. 1569. scripta:*¹³⁹ "... In primis vero grata nobis et iucunda fuit lectio eruditissimorum et dulcissimorum poematum tuorum et scriptorum Bohuslai Hasisteinii, cuius ingenio tota Germania nullum eo tempore habuit praestantius et politius. Cremes Austriae 20. Ianuarii, 1569."

20. — *Ex epistola Georgii Fabricii ad Thomam Mitem Kal. Sept. (a. 1569.) Misena scripta:*¹⁴⁰ "... D. Bohuslai opera edita si sunt,¹⁴¹ mecum quoque ea communica, qui illum virum meorum praeceptorum laudibus a pueritia semper amavi ac eius omnia investigavi. Cura eadem Lipsiam vehenda, ut et nostris et aliis fiant notiora ..."

¹³⁵ Cf. Odonis (c. a. 1230.) de Ceritonia (Cheriton in Cantio [Kent, Britannia]) fabulas, Hervieux, *Les fabulistes Latins*, 4, 188.; Voigt, *Kleinere lateinische Denkmäler der Tiersage*, p. 114.; Seiler, *Deutsche Sprichwörterkunde*, 1922., p. 28.

¹³⁶ Sc. in Hieronymi Balbi librum Bohemiae et procerum eius laudes continentem (v. coh. 120.). — Cf. Cornova, ed. c, pp. 203—04.

¹³⁷ Ed. m, A2v—4r; pars a nobis edita: A3v.

¹³⁸ Ed. d, b1v—2r, pp. 370—72.

¹³⁹ Ed. d, O8r, p. 207. — Cf. Cornova, ed. c, p. 5.

¹⁴⁰ Ed. d, e6v—7r.

¹⁴¹ Cf. epistolam eiusdem ad eundem „e Ludo illustri Misaena a nato Christo Redemptore Anno 1567. Mensis Aprilis die tertia" scriptam (ed. n, A5v—6r): "... D. Bohuslai opera, si sunt excusa, fac mihi eorum copiam, ut eius scriptis doctissimis, quae non sine labore collegi, fruar et aliis ea studiosis commendem ...".

21. — *Ex litteris Georgii Fabricii ad Ioannem Bannoneum I. U. D. 11. Kal. Febr. 1570. Misenae scriptis*:¹⁴² „... Ea etiam de causa patriam tuam regiam libentius accessissem, cum ut tecum loquerer familiariter, tum ut eos amicos salutarem, qui ad me saepius scripserunt humanissime: praesertim ut Thomae Miti instarem ad absolvenda opera e nobilitate praestantissimi D. Bohuslai Hasisteynii, quo doctior ante ipsius tempora in regno Bohemico non fuit, et mentionem Bohemiae faciens Conradus Celtis, princeps laureatorum, sic canit:

Hic Bohuslaus habet sua candida tecta Boëmus
Musarum, et patriae fulgida stella suae...

22. — *Ex litteris Georgii Fabricii ad Florianum Grispegkium 15. Kal. Mart. 1570. Misenae scriptis*:¹⁴³ „Audio sub praelo esse opera poetica generosi viri D. Bohuslai Hasisteynii, cuius eruditionem in tali viro et tam amplo semper sum admiratus et in eius scriptis afferendis etiam diligens fui. Tua autem amplitudo, vir excellentissime, si stimulos Thomae Miti, qui eorum editionem procurat, auctoritate sua addiderit et eius gentiles ad gratitudinem fuerit adhortata, non dubito, quin iam confectum sit negotium et vir immortalitate dignissimus sit habiturus laborum suorum et ingenii praestantis praemia apud omnem posteritatem. Misenae e Ludo illustri XV. Cal. Martias. Anno Christi 1570.“

23. — *Ex Hypomnematibus Thomae Mitis in Appendicem poematum Bohuslai Hassensteinii ad eiusdem gentiles, Antiqua Praga Kal. Iul. a. 1570. scr. pto*:¹⁴⁴ „... Ille [Georgius Fabricius]... effecerat, ut, quae desiderarentur domi, invenirentur foris, et ab Episcopis, magni nominis typographis Basiliensibus, nobiscum manuscripta communicarentur... Porro, sicut meritis erat noster Hasisteynius, cur ab exterorum etiam hominum tot elogiis editionibusque suarum lucubrationum cohonestaretur: ita meretur etiamnum merebiturque in perpetuum, ut ab universis et potissimum a sympatriotis, veluti alter Camillus, redux ad Bohemiam e barbarie vindicandam, faustis omnibus et acclamationibus excipiat et applausu fremituque secundo eruditorum avitaeque laudis amatorum complectatur...“

24. — *Andreas Regenvolscius: „Systema historico-chronologicum ecclesiarum Slavonicarum“*:¹⁴⁵ „Floruit hac tempestate Bohuslaus, Baro Hassensteinii, a Lobkovitz, Poeta, Orator, in utraque lingua, Graeca et Latina, clarissimum totius Bohemiae ornamentum, multis animi dotibus illustratus, quas tamen odium purioris Religionis obscurabat et tenebrae errorum Pontificiorum obfuscabant. Is scripta A. 1497. ad Regem Vladislavum, cui a secretis consiliis fuit, epistola animum illius eo impellebat, ut omnes sectas a Romana dissidentes funditus eradicaret.¹⁴⁶ Scripsit etiam haec¹⁴⁷ de Fratribus lib. 4. Epist., quae Praegae editae sunt in lucem: Maxime, inquit, illud me angit, quod perfidia haec, quae sub Rege Georgio et Joh. Rokitsano, quan-

¹⁴² Ed. d, Q2r—v.

¹⁴³ Ed. d, Q2r.

¹⁴⁴ Ed. d, X5v—8v, pp. 314—20.

¹⁴⁵ Regenvolscius s. Wengerscius. - *Systema* a. 1652. Traiecti ad Rhenum ex officina Ioannis a Waesberge editum est, etquidem pars a nobis edita in p. 177. — In margine Regenvolscius, e quo fonte hauserit, ita indicat: „Buchol. Ind. Chron. p. 461.“ - Index Chronologicus Abrahami Bucholceri s. Bucholzeri patris ad Eusebii editionem Basileensem a. 1578. adiectus primum editus est (pp. 655—707.), sed tantum usque ad annum post Christum natum 601. continuatus. Iterum editus est cura secunda Gottfridi Bucholzeri f(ili)i, Gorlicii, a. 1599., in quo in p. 513. haec leguntur: „Bohuslaus ab Hassenstain, Baro a Lobkovitz, Poeta et Orator in utraque lingua Graeca et Latina clarissimus, totius Bohemiae ornamentum, die 29. Novembris (a. 1510.) obiit.“ In tertia editione Indicis Chronologici (Francofurti, 1612.) in p. 471. eadem annotatio de Bohuslao invenitur, quam nos superius apud editionem secundam citavimus, in quarta editione (Francofurti, 1616.) eadem annotatio in p. 461. legitur, Regenvolscius igitur hac quarta editione usus est.

¹⁴⁶ V. ep. 49, 39: Nisi enim reliquias malorum nostrorum funditus eradicaveris,...

¹⁴⁷ V. ep. 137, 9.

quam haereseos accusatis, ne hiscere quidem audebat, hoc tempore sub Rege Catholico, et radices egit et ramos suos adeo late protendit, ut vix humanis viribus extirpari atque evelli possit. Hactenus Hassensteinus: qui 29. Nov. A. 1510. obiit.¹⁴⁸

25. — *Bohuslaus Balbinus*: „*Bohemia docta*“.¹⁴⁹ „Bohuslaus Hassensteinus a Lobkowicz, illustrissima gente apud Bohemos editus Regis Wladislai tempore, circa annum 1500. tanta ingenii laude floruit, ut Trithemius audacter scripserit: Germaniam ea aetate nullum Lobkowiczio clarius ingenium et politius habuisse.“

26. — *Ioannes Gottlob Boehmius, professor Academiae Lipsiensis: Commentariolus De Augustino Olomucensi et patera eius aurea, in nummophylacio Serenis. Princ. Reg. Elect. Dresdae adservata*.¹⁵⁰ „Bohuslaus Hassensteinus, vir prope divinus... At enim longissimo reliquos intervallo Hassensteinus antecelluit, quo non temere ea aetate repertus est aut studiosior honestarum artium aut peritior. Verum de tali viro silere satius puto, quam parum dicere.“¹⁵¹

D) *Opera vitam scriptaque Bohuslai tractantia.*

Praeter editiones imcrrh inferius enumeratas et encyclopaedias (e. c. Allgemeine Deutsche Biographie, XIX., pp. 47—50. et Ottuv Slovnik naucny, XVI., 1900., pp. 230—32.) v. haec opera:

M. Henricus Andreas *Toepffer*, De vita summisque in rem literariam meritis Bohuslai Hassensteinii, lib. bar. Lobkowicii. Vitembergae, ex officina Gerdesiana, 1718.; Vitae Pomeranorum, vol. 161. bibliothecae univ. Gryphiswaldianae.

Christophori Augusti *Heumanni* Prolusio scholastica de Hassensteinio Goettingae et Halae, 1718.

Ioann. Christoph. *Coleri* Commentatio historica de Bohuslai Hassensteinii Bar. Lobkowicii vita et summis in rem literariam meritis, Wittenbergae, 1719., 1721.

Bohuslaus *Balbinus*, *Bohemia docta*, opus postumum editum notisque illustratum ab Raphaele Ungar, Praegae, 1778, II. pp. 104. et sqq.

Franciscus Faustinus *Prochaska*, De literarum latinarum in Bohemia et Moravia restitutoribus commentatio. Acta lit. Boh. et Mor., rec. Adauctus Voigt, Praegae, 1783, II. pp. 293—320.

P. A. *Budik*, Leben und Wirken der vorzüglichsten lateinischen Dichter des XV—XVIII. Jahrhunderts. Vindobonae, 1828., III., pp. 46—95.

Joh. *Ritter von Rittersberg*, Lateinische Ode auf Karls des Vierten Heilquellen, Praegae, 1829, pp. 19—38 (interpretatio e lingua Francogallica operis Ioannis equ. de Carro).

Karel *Vinařický*, Pana Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic věk a spisy vybrané, Praegae, 1836, ed. II., ibid. 1875. (Opera selecta in linguam Bohemicam translata.)

Josef *Truhlář*, Bohuslav z Lobkovic a K. Celtes. In ephemeride Časopis Musea království Českého, Praegae, 1875, pp. 397—98.

Idem, O spisech Bohuslava z Lobkovic. Ibid. 1878, pp. 266. et sqq.

Eugen *Ábel*, Magyarországi humanisták és a Dunai Tudós Társaság Budapestini, 1880.

Josef *Truhlář*, Humanismus a humanisté v Čechách za krále Vladislava II. In collectione Rozpravy České akademie pro vědy, slovesnost a umění v Praze, III, ser. III, fasc. 4. Sumptibus Academiae scientiarum, litterarum et artium Bohemicae, Praegae, 1894.

Rudolf *Wolkan*, Böhmen Anteil an der deutschen Literatur des XVI. Jahrhunderts. Vol. III.: Geschichte der deutschen Literatur in Böhmen bis zum Ausgange des XVI. Jahrhunderts, pag. 110—21. Praegae, 1894. Sumptibus A. Haase.

¹⁴⁸ V. comm. 88.

¹⁴⁹ Ed. Carolus Raphael Ungar, Praegae, 1778., t. II., p. 104—05.

¹⁵⁰ Dresdae et Lipsiae apud Ge. Conr. Valtherum, 1758., pp. 8. et 11.

— Cf. Cornova, ed. c, p. 6.

¹⁵¹ Sall. lug. 19, 2.; Quint. 2, 13, 14.; S. Hieron. ep. ad Paulinum, c. VII. (Super quo tacere melius puto, quam pauca scribere.)

Otto Clemen, Zur Geschichte der Hassensteinischen Bibliothek in „Beiträge zur Reformationsgeschichte“, Berolini, 1903, fasc. 3., pp. 85—89.

Walter Hassenstein, Hassenstein einst und jetzt. Denkwürdigkeiten, Schicksale und Stammeskunde eines deutsch-böhmischen Hauses aus fünf Jahrhunderten. Sumptibus Fratr. Vogt. Papiermühle apud Rodam S.-A., 1904. In hoc opere litterae et multa stemmata afferuntur.

I. Fögel, Quomodo rex Wladislaus II. cancellariaque eius de rebus litterariis meriti sint in Hungaria. Commentarii nonnulli de historia litterarum renascentium in Hungaria. (MCCCCXC—MDXVI.) Budapestini. MCMXI., pp. 11—16., 36.

Idem, Hasišteini Lobkovic Bohuslav a magyarországi humanisták között. In opere: Dolgozatok Békefi Remig egyetemi tanári működésének emlékére. Budapestini, 1912., pp. 212—21.

Idem, Bohuslav Lobkovic v. Hasištejn unter den Humanisten Ungarns. In ephemeride „Ungarische Rundschau“, vol. II., Monaci—Lipsiae, 1913., pp. 937—46.

Idem, II. Ulászló udvartartása. (1490—1516.) Budapest, 1913., passim (v. indicem).

A. de Hevesy, La Bibliothèque du roi Matthias Corvin. Paris, 1923. (in serie: Publications de la Société Française de Reproductions de Manuscrits à Peintures), p. 39.

Bibliotheca Corvina. Mátyás király budai könyvtára. Írták † Frankói Vilmos, Fögel József, Gulyás Pál és Hoffmann Edith. Szerkesztették Berzeviczy Albert, Kollányi Ferenc, Gerevich Tibor. Budapest, 1927., pp. 24. et 92. (comm. 72. et 73.) — Idem Italice: † Guglielmo Fraknoi—Giuseppe Fögel—Paolo Gulyás—Edit Hoffmann, Bibliotheca Corvina. La biblioteca di Mattia Corvino re d'Ungheria. Per cura di Alberto Berzeviczy—Francesco Kollányi—Tiberio Gerevich. Traduzione dall'ungherese di Luigi Zambra. Budapest, 1927., pp. 26. et 100. (comm. 72. et 73.).

G. Ellinger, Geschichte der neulateinischen Literatur Deutschlands im sechzehnten Jahrhundert. I. Berolini—Lipsiae, 1929.

B. Ryba, Filosofická prosa Bohuslava Hasištejnského z Lobkovic. In ephemeride „Listy filologické“, vol. LVIII., pp. 262—68, 421—27, Pragae, 1931.

Wilhelm Hassenstein, Der „grosse Böhme“ Bohuslaw von Hassenstein. Zur Geschichte des Deutschtums in Böhmen aus der Zeit um 1500. In periodico: Der Sudetendeutsche, a. 1939., pp. 133—35. et 154—56.

*Opera partes e scriptis Bohuslai
in linguas Bohemicam et Germanicam versas continentia.*

I. Cornova, Der grosse Böhme Bohuslaw von Lobkowicz und zu Hassenstein, nach seinen eigenen Schriften geschildert, Prag, 1808., interpretatio epistolae 15. in pp. 468—80. (Editio c.)

K. Hrdina in progr. Czech. gymn. Kolinensis (Kolín, Bohemia), 1911.

Ot. Jiráňi in progr. Czech. gymn. Pragensis (II., Truhlářská), 1912. Idem edidit carmina Bohuslai selecta Pragae 1922.

K. Gerst (cum commentatione de Bohuslai vita et operibus) in progr. Germ. gymn. Rumburgensis (Rumburg, Bohemia), 1933—34.

II. — De epistolis Bohuslai.

Ex epistolis Bohuslai 170 ad nostram aetatem remanserunt (1—170.), praeterea 3 epistolae (171—73) eius in nomine aliorum scriptae. E 170 epistolis 146 epistolae (1—146.) data, quibus scriptae sunt, certa vel satis certa habent, 24 epistolae (147—70.) autem datis certis carent, id est datis incertis scriptae sunt, quorum autem tempora, quantum fieri potuit, stabilire conabamur.¹⁵² Commentationem de re publica administranda longam quamquam in epistolae forma scriptam non epistolam, sed commentationem

¹⁵² V. Annotationes Criticas ad singulas epistolas (147—70.) scriptas.

tractamus, de qua tantum traductionem Bohemicam habemus.¹⁵³ Ceterum epistola 15. longa quoque revera commentatio et non epistola haberi potest. Certo plures epistolae Bohuslai perierunt.

Habemus praeterea tantum 20 epistolas, quae ad Bohuslaum scriptae sunt; has in Appendice edidimus. Item permultae epistolae ad Bohuslaum scriptae ad nostrum aetatem pervenire non potuerunt.

III. — *Historia codicum et editionum.*

De epistolis Bohuslai iam nullum autographum manuscriptum habemus.

Bohuslaus more aetatis textum epistolarum, quas misit, in quodam codice, qui vulgo epistolaris dicitur, descripsit, de cuius fragmento (vel fortasse de descriptionis fragmento) perduto, quod Bohuslao mortuo totum (non fragmentum), ut credimus, Pibreo obvenit, edidit Mitis 47¹⁵⁴ epistolas in editione n.¹⁵⁵ Manuscripta ad nostram aetatem remansa de autographo vel de autographi descriptione derivare videntur, etquidem maiorem partem prima saeculi XVI. parte, singula vero adhuc vivo Bohuslao vel saeculo XVII.¹⁵⁶

Bohuslao adhuc vivente 9 epistolae (2, 11—12, 17, 21, 24, 80, 172—73: editiones slwp) in lucem prodierunt. Iam paulo post Bohuslai obitum Sturnus, Sslechta, Sigismundus Lobkowicz (filius Nicolai, fratris Bohuslai), mox Matthias Aurogallus Chomutoviensis, Sigismundus Gelenius Pragensis, Matthias Collinus, Briccius a Liczsco, Ioannes Hoddeiowinus et imprimis Georgius Fabricius Chemnicensis conservandis et edendis Bohuslai operibus — inter ea et epistolis — operam navabant, quorum conatus ad

¹⁵³ V. paulo superius inter opera Bohuslai perdita. Truhlár in editione versionem Bohemicam inter epistolas edidit no. 64., pp. 78—103.

¹⁵⁴ Certo plures epistolae fuerunt in codice epistolari, quas autem Mitis, quia iam prius in suis editionibus i et m in lucem prodidit, iterum edere noluit.

¹⁵⁵ De hoc codice epistolari v. editionem n, A6v—8v, ubi Mitis in proemio ad Bohuslaum iuniorem a Lobkowicz (filius Bohuslai Felicis) 4. Maii 1570. scripto haec scribit: „Nuper Pragae fuisti . . . et revertens . . . Bibliothecam, salutaturus me si praesto adfuissem, praeteriisti. Id sane mihi permoleste accidit, non tantum mei causa, quod tuo aspectu dudum desiderato perfruerer . . . , sed tui etiam gratia: Potuisses enim inter caetera vestri gentilis monumenta conspiciere manuscriptum codicem perantiquum, cuius satis longo tempore usufructum mihi concessit nobilis et industrius Fridericus a Wildnstejn, Philippi F[ilius]. Codicem illum, e quo novam hanc conflavi Appendicem merito ad te mittendam, . . . cum aliis quibusdam studiose concinnavit et collegit Ioannes Pibraeus, nostri D. Boh. Hasistenii quondam familiaris, cuius ille meminit honorifice multis in locis, sed nescio cui reliquit demortuus: hoc unum scio, in pessimo apud Corydones loco et pessime habitum et acceptum: nam paginae (quo citra dolorem perferre vix possum) plurimae ab illis excisae, ad vitreas fenestras oblinendas mancipatae fuerant et ad extremum fuissent, ni Wildnstejnii memorati eum coro siliginis redemissent atque ab interitu vindicassent. Habenda itaque est illis gratia tum a nobis tum etiam nomine communis patriae, ad quam nonnihil ornamenti et ad te emolumenti, ut reor et auguror, huius Appendicis vulgatione accedet.“ — Cf. praeterea de hac re: Cornova, ed. c, p. 329. — Nos credimus codicem Bohuslai epistolarem Pibraeum post mortem Bohuslai accepisse, de quo descriptionem fecit, e qua deinde Mitis edidit epistolas in editione n.

¹⁵⁶ V. paulo inferius singulos codices.

effectum post semisaeculum mortuo Bohuslao Thonias⁴⁵, 49—51. duxit, cum permulta opera Bohuslai — inter ea (e 173 t. p. ms.) 169 epistolas (ignoravit epistolas 1, 15, 51, 80) — in lucem edidit.¹⁵⁷ Si Mitis has epistolas non edidisset, nunc tantum 18.

¹⁵⁷ Ioannes Sslecht in epistola in oppido Kosteletz ad Albim fluvium. VI. Kal. Mart. 1511. scripta (ed. d, A5v) inter alia haec scribit: „Tibi autem, mi Sturne, magnas habeo agoque gratias, quod tantum curae et diligentiae impenderis, ut quos libros eius, sive carmine sive soluta oratione scriptos, necdum tamen in lucem emissos, invenire potuisti, omnes collegeris. Nisi enim diligentia et cura tua id provisum et effectum fuisset, vereor, ne penitus aut neglecti perirent aut ab aliis surrepti titulos falsorum auctorum induerent laboremque et famam veri auctoris amitterent. Fuisti tu profecto Bohuslao nostro idem, quod aliquando Tiro M. T. Ciceroni: quem nisi ille libertum habuisset, multos nunc libros eius desideraremus. Ita nisi tu in amici nostri contubernio et familiaritate mansisses, actum fuisset de nonnullis eius editis libellis. Quare tibi pro tanto beneficio multa debent omnes studiosi et bonarum artium amatores.“ Qua ex epistola praeterea apparet Sturno in consilio fuisse Centuriae carminum suorum regi Vladislao dedicandae aliquot Bohuslai epigrammata quoque adiungere: quae autem res, quantum scimus, numquam ad effectum deducta est. — In epistola Sigismundi Lobkowicz ad Sslechtam ex Hassensteyn XV. Kal. Aug. a. 1511. scripta (ed. d, R1r—v) haec legimus: „Carmina reliquaque id genus, de quibus tecum coram proximo conventu Pragae mentionem feci, Bohuslai patrui mei huic tabellario ad me perferenda des, etiam atque etiam rogo. Quod si feceris, alia omnia, quae penes me sunt, ab eodem viro scripta et simul collecta et impressa brevi perferenda tibi curabo.“ — Ioannes Sslecht in quadam epistola ad Sigismundum Lobkowicz Gurimae III. Non. Aug. a. 1511. scripta (ed. d, R1v—2v) promisit, utcunque domum (i. e. Kosteletz) rediisset, se libellos ipsos ad Sigismundum per quempiam familiarium suorum transmissurum esse hac vero lege, ut, utcunque descripti aut impressi essent, sibi redderentur. „Hoc te unum admonere volo,“ addidit „ut, cum tibi afferentur, diligentius eos legas et perlegas. Sunt enim culpa librarii in nonnullis locis corrupte scripti, quos ego propter varia negotiorum impedimenta recognoscere non potui: facile tamen inter legendum emendari et castigari poterunt.“ — De Hoddeiovino scribit Fabricius ad Collinum Misena „e ludo illustri“ IV. Id. Nov. a. 1561. [annum 1543, qui ex verbis in epistola fine „quo die ante annos CXXVIII. Rostochiana coepit Academia“ (i. e. a. 1419.), colligendus est, minime verum esse posse declarat Ryba (ed. r, p. 9., comm. 5.)]: „... qui Maecenas vester, quod et viri summi [i. e. Bohuslai] conservare memoriam vult et patriae suae veris laudibus favet, profecto et a te et ab aliis ornandus est et in hoc instituto praeclarissimo adiuvandus“ (ed. d, A3r—v). — Fabricius III. Non. Apr. a. 1567. „e ludo illustri Misena“ ad Mittem haec scribit (ed. n, A5v): „D. Bohuslai opera si sunt excusa, fac mihi eorum copiam, ut eius scriptis doctissimis, quae non sine labore collegi, fruam et aliis ea studiosis commendem.“ — Fabricius non solum ipse opera Bohuslai perquisivit, sed etiam primum Gelenium, deinde alios viros doctos, imprimis Pragenses quoque, qui humanitatis studia profitebantur, „ad conservandam et propagandam memoriam patrii vatis ... studiose et incessanter“ (ed. m, A5r) hortabatur. Idem Fabricius ex epistola Collini a. 1560. scripta cognovit „nobilem virum D. Ioannem Hoddeiovinum mandasse, ut suis [e. i. Hoddeiovini] sumtibus [opera Bohuslai] inquirantur et edantur“ (ed. d, A3r). Negotium operum edendorum Thomae Mitii demandatum est, qui et ipse summo studio conquisivit opera Bohuslai, donec liberalitate atque impensis partim Hoddeiovini, partim Bohuslai gentilium ab a. 1560. usque ad a. 1570. opera Bohuslai collecta excusa sunt. — Opus quarto anno post Hoddeiovini mortem (1566.) paene absolutum Fabricius hac epistola Misna Id. Febr. a. 1570. prosequitur (ed. d, Q4r): „Literae tuae magno me affecerunt gaudio, quibus significas brevi absolutum iri opus carminum generosi viri Bohuslai Hasisteynii, quod annos iam aliquot sub manibus habuisti. Omnino dignissimus ille heros est, qui virtutis, eruditionis, sapientiae quoddam singulare exemplum in ore posteritatis perpetuo versetur. Quod autem antea tentarunt viri illi optimi et doctrina praestantes, Sigismundus

18—19. — Bohuslai haberemus,¹⁵⁸ quia omnes codices, de quibus ille grapholas ediderat, iam perierunt.

A) *Derivatio codicum, ad nostram aetatem remansorum et editionum.*

T U V W D Y L. — s l w p f i m d n v b c t e r z h

a) *Epistola 1. — codex T (editio r).* Epistola 1. de codice autographo perduto (vel de autographi descriptione perditā) descripta est in codicem T, de quo editio r edidit hanc epistolam.

b) *Epistola 15. — codices UVW (editiones c [VW] et t [U]).* Epistola 15., ut creditur, de perduto autographo in duos codices est descripta, de quorum uno codex U, de altero codices V et W descripti sunt.¹⁵⁹ In edenda epistola 15. editio c codicibus V et W, editio t autem tantum codice U et editione c usae sunt. Editio t quandam exaequationem adhibuit, nonnullis autem locis mendis laborat, praecipue, quia corruptelas editionis c, quae in codicibus V et W non inveniuntur, in editionem suam transtulit. — Codex U praeter epistolam 15. alias quoque epistolas (36, 39, 45, 49—51, App. 10—11) habet.

c) *Epistolae 36. et 39. — codices UY, editiones t (U) et m (36.) et n (39.).* Hae duae epistolae de singulis (duobus) autographis perditis in quendam codicem perditum sunt descriptae, de quo codices UY descripti sunt; praeterea hae duae epistolae de singulis autographis (perditis) memoratis in singulos (duos) codices perditos descripti sunt, de quorum uno epistolam 36. editio m, epistolam 39. autem editio n edidit.¹⁶⁰ — Codex U

Gelenius Pragensis, Ioannes Sturnus Smalcaldensis, Matthaeus Aurogallus Chomutoviensis, id tua industria et meis precibus atque etiam importunitate effectum esse gratulor et gaudeo. Quem autem praesentes amarunt atque celebrarunt, nos quoque observare par est et memoriam defuncti colere... Perge igitur, ut coepisti, urgere propositum nec tibi ullius sermones aut iniquitatem patere obstare. Nam si quid invidiae est aut livoris, id iam post fata quiescit. Vale et brevi totum opus ad me mitte." — Deinde edidit Mitis editionem n e codice mutilato, de quo in epistola ad Bohuslaum iuniorem a Lobkowicz, Bohuslai Felicis filium, Antiqua Praga IV. Maii a. 1570. scripta scribit (v. comm. 155.), in cuius epistolae fine haec leguntur: „Et quia in Saxonia et Misnia multos familiares noster Hasisteinius habebat, ne pigeat te, quaeso, isthic fragmenta ipsius inquirere. Ea in re ducem et adiutorem habebis virum clarissimum et optimum Georgium Fabricium." — De superius dictis v. profusius et accuratius et subtilius: Ryba, ed. r, pp. 9—19.

¹⁵⁸ 1—2, 11—12, 15—17, 21, 24, 36, 39, 45, 49—51, 80, 172—73, quae igitur epistolae nunc tantum e codicibus ad nostram aetatem remansis et editionibus ante editiones Mitisianas editis edi possint.

¹⁵⁹ Cf. Ryba, ed. r, pp. 103—04.

est factus et Bernhardus frater Conradi studiorum causa in Galliam secessit. — 9. Ad Bernhardum Adelmannum. (1486.) Rogat, ut Bernhardus in Galliam profectus se participem rerum apud exterarum gentes gestarum faciat. — 10. Ad Hulricum episcopum Tridentinum. (1486.) Gratulatur, quod Hulricus episcopus factus est. — 11. Ad Petrum Schottum. (1487.) Excusat raritatem epistolarum ad eum scriptarum. — 12. Ad eundem. (1487.) Resp. App. 5. Raritatem epistolarum suarum curis domesticis excusat; muneri aulico accessurus rogat, ut Schottus libello sibi scripto edoceat, quomodo se in hoc novo vitae genere gerat. — 13. Ad Iohannem (de Domaslavia.) (1487.) Petit, ut librum iura regni continentem et a Basstino sibi commodatum a Basstino emat. — 14. Ad Paulum abbatem in Grynheym. (1489.) Rogat, ut venia abeundi a rege sibi non data fratri suo petenti satisfaciatur. — 15. Ad Cristannum Pedik. (1489.) Describit Pragae situm incolarumque mores et historiam Bohemiae centum annorum breviter complectitur. — 16. Ad Victorinum de Wssehrd. 1489. Resp. App. 7. Dedicat ei satiram Ad sanctum Venceslaum in mores procerum patriae scriptam; rogat, ne carmen in publicum proferatur; de quo iudicium eius quaerit. — 17. Ad Petrum Schottum. 1490. Iter in Orientem ingressus loca petenda commemorat affertque, cur sine Petro peregrinationem suscepit. — 18. Ad Iohannem de Sselnerberck. 1490. Iter iam perfectum describit et quo ultra navigare sibi in animo sit, refert. — 19. Ad Stephanum Pisonem. 1491. Itinere maritimo exposito explicat sibi consilium esse imprimis Graeciam peragraré. Bibliothecam domi relictam ei commendat. — 20. Ad eundem. 1491. De terris longinquis rediens laetus accipit, quae Stephanus de episcopatu sibi oblato scripsit, sed ob magnam rei difficultatem haesitat. — 21. Ad Iohannem Keisersbergium. (1491.) E Petri Schotti obitu Venetiis comperto dolorem percipit, quem parentibus eius epistola declarare veretur, ne maestitia eorum recrudescat. — 22. Ad Victorinum de Wssehrd. (1491.) Resp. App. 8. Epistolam a quodam ad Victorinum scriptam et Venetiis sibi traditam per Maurum suum ei mittit, quia ei facultas epistolam Pragae reddendi non est data. — 23. Ad Iohannem Sselnerbergium. (1492.) De episcopatu Olomucensi a Iohanne coram edoceri cupit. — 24. Ad Iohannem Keisersberg. 1492. Mortem Friderici Busner familiaris itinerumque comitis nuntiat, item Petri Schotti memorat. — 25. Ad Victorinum de Wssehrd. 1492. Agit de re Olomucensi memor favoris Victorini et Stiborii Towaczowei. — 26. Ad Bernhardum Adelmannum. (1492.) E Britannia reversum salutatur ab eoque petit, ut sibi de regionibus peragratis referat. — 27. Ad Victorinum de Wssehrd. (1492.) Rogat, ut responsum ad epistolam Stiborii Towaczowei scriptum ei in Moraviam perferendum curet. — 28. Ad Iohannem Pibreum. (1492.) Nimiam laudem, qua a Victorino in epistola ad Stiborium Towaczowem scripta elatus sit, renuit. — 29. Ad capitulum Olomucense. 1493. A capitulo cunctis suffragiis episcopus renuntiatus rogat, ut sibi in omne tempus benevolentiam praestet. — 30. Ad regem Wladislaum. (1493.) Causam ecclesiae et capituli Olomucensis ei commendat. — 31. Ad Iohannem de Sselnerberck. (1493.) Rem Olomucensem ei commendat. — 32. Ad eundem. (1493.) Rem Olomucensem a rege initio adiutam iam diutius duci defert, quod e querelis quoque capituli appareat, quare eam iterum curae eius mandat. — 33. Ad praepositum ecclesiae Pragensis. (1493.) Rogat, ut rem capituli Olomucensis a duobus patribus explanandam curae habeat. — 34. Ad Victorinum de Wssehrd. (1493.) In eadem re operam eius petit. — 35. Ad Iohannem Pibraeum. 1493. Epistolam quandam versibus compositam ei mittit eamque ad historiam rerum Bohemicarum explanandam curae Victorini commendat. — 36. Ad Iohannem de Domaslawie. 1493. Famam esse refert legatos ad papam abiisse, ut populum Pragensem ad ecclesiam Romanam redire velle proflerentur. Sperat fore, ut eam rem non solum religioni catholicae, sed etiam Pragae saluberrimam fore. — 37. Ad capitulum Olomucense. (1493. s. 1494.) Gaudet, quod patres in benevolentia erga se persistent, rem autem Olomucensem in dies differri aegre fert. — 38. Ad Conradum Alchamer. (1493. s. 1494.) Pertaesius procrastinationis rei Olomucensis cognoscere cupit, quid de hac fiat vel factum sit. — 39. Ad Iohannem de Domaslawie. 1494. Iohanne rogante severum iudicium dicit de versibus maledicis Victorini in papam scriptis. — 40. Ad Iohannem de Pibra. 1494. Hymnum ab Iohanne ad se iudicii causa missum nequaquam ab Aenea Silvio scriptum comprobatur. — 41. Ad Victorinum de Wssehrd. (1494.) Rogationi Victorini, ut quosdam versus malignos remittat sententiamque de iis dictam

revocet, se obsequi non posse declarat. — 42. Ad Bernhardum Adelmannum. (1494.) Testimoniis ostendit ab ecclesia communionem sub utraque specie laicis interdicti coelibatumque ecclesiasticis praescribi. — 43. Ad Ioannem de Pibra. 1494. Pigritiam epistolarum scribendarum Ioanni obicit; versus petitos, si in lucem emissi erunt, se missurum promittit. — 44. Ad capitulum Olomucense. (1494. s. 1495.) Conqueritur se a patribus de re Olomucensi non edoceri. — 45. Ad Martinum Melerstat. (1495.) Resp. App. 10. Libellum De miseria humana ei dedicat. — 46. Ad Ioannem de Pibra. (1495.) Iniquum iudicem sui libelli De miseria humana castigat eique poenam minatur. — 47. Ad eundem. 1496. Praematuram mortem Alexii commiseratur. — 48. Ad Bernhardum Adelmannum. (1496. s. 1497.) Obitum episcopi Eystetensis misericordia prosecutus Bernhardum certiore facit Lucam familiarem suum Norimberga copiose ad eum esse scripturum. — 49. Ad Wladislaum, Pannoniae et Bohemiae regem. 1497. Regem ob virtutes laudatum hortatur, ut a viris patriae amantissimis adiutus ecclesiae in discrimen vocatae subveniat eamque ad pristinum decus evehat. — 50. Ad Augustinum Moravum. 1497. Resp. App. 11. Primitias carminum eius laudat eumque hortatur, ut carmina componere pergat. — 51. Ad Ioannem de Domaslavie. (1497.) Quare episcopus Olomucensis alii obtigerit, declarat sibi, quamvis imbecillitatis suae conscius sit, socordiam in eo honore petendo monstratam immerito obici posse. — 52. Ad Ioannem Sslechtam. 1498. Grato animo accipit, quae amicus de rebus Pannonicis nuntiavit. Se rei litterariae incumbere refert. Rumorem per Bohemiam de Turcorum in Dalmatiam incursu serpere refert. — 53. Ad eundem. 1499. Se Viennae familiariter ab Hieronymo Balbo et Conrado Celte esse acceptum commemorat, quocum oblitus veteris iniuriae (cf. ep. 5.) in gratiam redierit. — 54. Ad eundem. 1499. Reminiscentur Petri Schotti amici defuncti, cuius Ioannes in epistola mentionem fecerat. Bellum cum Turcis gerendum iam evitari non posse declarat. Postremo de libris invicem mittendis agit. — 55. Ad Valentinum Mezricensem. 1499. Gratias agit pro epistola et dono eius id remuneraturus. — 56. Ad Ioannem Sslechtam. (1500.) Gratias agit Ioanni et aliorum fautorum, qui effecerunt, ut episcopus Vratislaviensis designaretur. Condiciones profert, quibus acceptis iterum ad munus aulicum accedere in animo est. — 57. Ad eundem. (1500.) Exspectat libros ab Ioanne promissos et condiciones, quibus acceptis in aulicorum numerum ascribatur. De Gallorum victoriis in Italia et Turcis Venetiis imminetibus agit. — 58. Ad Hieronymum Balbum. 1500. Resp. App. 13. Rogat, ut opusculum in ipsius laudem compositum sibi mittat, quia multis occupationibus detentus Pragam proficisci nequeat. — 59. Ad Ioannem Sslechtam. 1500. Gaudet, quod Ioannes operam dat, ut episcopus Vratislaviensis creetur, suam autem imbecillitatem proficitur. De libris quoque tandem aliquando mittendis et de Microcosmo Sslechtae, de quo nihil iudicare potest, quia eum nondum accepit, agit. — 60. Ad eundem. 1500. Causam quandam civium Pontensium benevole componendam commendat. — 61. Ad eundem. (1501.) Opera Ioannis se semper usum esse gratus proficitur. Rem Vratislaviensem adhuc sub iudice esse memorat. Suadet ei, ut Microcosmum novem annis transactis edat. — 62. Ad eundem. (1501.) Ad munus aulicum tolerabilibus conditionibus suscipiendum paratum se esse declarat. — 63. Ad Ioannem de Lupis et Hermansgrunae. (1501.) De rebus Italicis scribit. Imperatorem Maximilianum contra Turcos opem laturum minime confidit. Inertiam principum aegre fert. — 64. Ad Ioannem Sslechtam. (1501.) De re Vratislaviensi in conventu Pragae celebrato et de re aulica ex cancellario nihil certi laetique se audisse refert. — 65. Ad Ioannem Domaslaviu. (1501.) De benevolentia patrum Oyvinensium dicit, quia falsum de sua morte rumorem persecuti sunt. Eventum prosperum rei Olomucensis nequaquam sperare declarat. — 66. Ad Bernhardum Adelmannum. (1501.) Iudicium de rebus metallicis petittum abnuat. Adventum Bernhardi laeto animo expectans ei comitem ob viarum discrimina promittit. Rogat, ut libros iam saepe petitos sibi mittat et se de rebus in Italia gestis certiore faciat. — 67. Ad Ioannem de Sselnerberck. (1501.) Refert, quomodo cum Hugone de Sslaynicz de negotio, quod Ioanni cum Saxoniae principi sit, egerit. — 68. Ad Ioannem Sslechtam. (1501.) Negotium quoddam civium Cadanensium commendat et apparatus Pannoniorum contra Turcos factos scire cupit. — 69. Ad Hieronymum Balbum. (1501.) Balbo in Pannoniam profecturo gratias agit, quod sibi operam in aula regia obtulerit, et se gratiam

relaturum pollicetur. — 70. Ad Bernhardum Adelmannum, (1501.) Libros missos se accepisse scribit aliosque exspectat. In Bohemia flumina exundasse et in Pannonia tardos apparatus contra Turcos fieri refert. — 71. Ad Wladislaum, Pannoniae et Bohemiae regem. (1501.) Stipendium in sumptus aulicos rogat. — 72. Ad Ioannem Sselnbergium. (1501.) Benevolentiam Ioannis erga se gratus accipit, stipendium autem, si in aulicorum numero degat, viro nobili dignum exspectat. — 73. Ad Conradum Celtem. (1501.) Gratias agit, quod apud Celtem gratia multum valeat, et gaudet, quod Celtis adventum promisit. Pirkhaymerum a Celte commendatum libens amicum sibi adiungit. — 74. Ad Ioannem Sselnbergium. (1501.) Se de re quadam cum Ioanne iussu regis Pragae acturum scribit, nisi ea aulica res sit, de qua cum Ioanne Pragae iam egerit. — 75. Ad Ioannem Sslechtam. (1501.) Se Pragae a cancellario evocatum condiciones muneris sui aulici accepisse refert; quae sibi placuisse excepto stipendio scribit, quod ut augeatur, Ioannem rogat. — 76. Ad Rodericum Dubrawum. (1501.) Resp. ad App. 15. De libello Dubrawi „De componendis epistolis“ scripto gaudio audisse refert eumque hortatur, ut in studiis perseveret. — 77. Ad Bernhardum Adelmannum. (1502.) Pessimum in Germania rerum statum, de quo Bernardus retulit, obitumque Ioannis Sansheimensis, quocum Bononiae consuetudine familiari iunctus erat, commiseratus nuntiat se brevi in Pannoniam ad munus aulicum abiturum. — 78. Ad eundem. (1502.) Bellum cum Turcis in conventu publico decretum seque Budam quamprimum iter ingressurum scribit. — 79. Ad Bartholomaeum Nigrum Cadanensem. (1502.) Studium bonarum artium Bartholomaei comprobatur, laudes autem suas, quibus Bartholomaeus extulit, non accipit. — 80. Ad Martinum Mellerstat. (1502.) Laudat Martinum, quod mugus aulicum aspernatus professor in Academia Lipsiensi esse maluit. Carmen Conradi Vimpiniae (De bellis Alberti Saxoni) cultum esse scribit. — 81. Ad Conradum Vimpinam. (1502.) Rogat Conradum unaque Martinum Mellerstat, ut lites inter ipsos ortas componant. Se bene de Conradi carmine aestimare ex epistola ad Martinum scripta quoque manifestum esse dicit. — 82. Ad Bernhardum Adelmannum. (1502.) De rege et nobilibus et vita Budae in aula regia acta scribit; sola eius voluptas est, quod familiaritate virorum doctorum utatur. — 83. Ad Cherubinum, fratrem ordinis minorum de observantia. (1502.) Aristobolum librarium e Creta Venetias rediisse refert, ubi Graecis libris describendis praesto esse potest. — 84. Ad Ioannem Hermansgrunae ex Lupis. (1502.) Contra Turcorum impetum discordiis Christianorum corroboratum plus praesidii in Venetis, quam in Gallorum rege, cuius infirmitas nota est, esse opinatur. — 85. Ad Bernhardum Adelmannum. (1503.) Refert se audisse codices Graecos ab episcopo Basiliensi nuper mortuo hereditate relictos venales esse, ad quos quancumque pretio coemendos Bernhardum rogat. Exspectat instrumenta astronomica a Bernhardo sibi emenda. — 86. Ad Ioannem Sslechtam. (1503.) Febrim levem passus Ioannem ad cenam invitat. — 87. Ad eundem. 1503. Resp. App. 18. Salvum se in patriam rediisse nuntiat, ubi res minime quietas, immo ad arma spectantes invenit. Se stipendium accepturum non sperat. — 88. Ad eundem. (1503. s. 1504.) Vitas Plutarchi a rege aliquando petitas, ut sibi mittantur, rogat. De perturbationibus Pannonicis nuntium exspectat. — 89. Ad eundem. 1504. Quia ignorat, num Ioannes in Bohemiam iam rediisset necne, epistolam nuper Budam misisse scribit. Eius operam in stipendio persolvendo rogat. — 90. Ad eundem. (1504.) De nuptiis Ioanni gratulatur. Denuo stipendium solvendum poscit. Petit, ut rex Cadanenses iuramento adigat, ne fratre vivo alii pareant, fratremque arcem Cadanensem munire iubeat. — 91. Ad Augustinum Moravum. 1505. Rogat, ut Plutarchum iam pridem promissum tandem aliquando sibi mittat et stipendium exsolvendum urgeat. — 92. Ad Ioannem de Pibra. 1505. Rogat, ut instrumenta, quibus agros metiri possit, sibi commodet et titulum, quo Ioannes utatur, significet. Addit tetrastichon, quo in mores Ioannis emendatiores iocatur. — 93. Ad eundem. 1505. Gratias agit, quod Ioannes frustra quidem, sed summo studio operam navarit, ut ipse apud patres Oyyinenses aliquamdiu recrearetur. Lucam familiarem suum mortem obiisse et Sebastianum quorundam negotiorum agendorum causa in Franconiam esse profectum scribit. — 94. Ad Augustinum Moravum. (1505.) Mittit epistolam lingua Germanica scriptam, quam ut rex ad cives Cadanenses det, rogat. Identidem ab Augustino rogat, ut stipendium sibi exsolvatur. —

95. Ad Bernhardum Adelmannum. (1505.) In Bohemia rumorem ortum esse Bernhardum episcopatum Augustensem renuisse refert. — 96. Ad Augustinum Moravum. (1505.) Rem Cadanensem (v. ep. 94.) nondum peractam esse scribit. Novas condiciones, quibus stipendium debitum sibi solvi possit, proferit. De rebus Pannonicis turbulentis novos nuntios ab Augustino exspectat itemque Plutarchum mittendum. Se versus suos Augustino missurum pollicetur, ubicumque exscribi potuerint. — 97. Ad Ioannem de Pibra. (1505.) Suadet, ut iter in Franconiam differat, quia alioquin omnes conatus eius irriti esse possint. (Quibus de rebus scribat Bohuslaus, non liquet.) — 98. Ad Bernhardum Adelmannum. (1505.) Causam illegitimi filii fratris sui explicat. Praeter libros narrationem rerum in Germania gestarum exspectat. — 99. Ad Augustinum Moravum. (1505.) Per Laurentium Glatz in Pannoniam proficiscentem stipendium exsolvendum denuo rogat. Laurentio hanc epistolam tradenti nuntios de rebus Hungaricis committi petit. De morte Philippi Beroaldi (senioris) scribit. — 100. Ad Ioannem de Pibra. (1505.) Causam eius (v. ep. 97.) per avunculum suum in Moravia degentem se perfecturum esse promittit. — 101. Ad eundem. (1505.) Exemplar epistolae lingua Latina confectae rogatum invitum mittit. In re Franconica cautionem occultationemque ei suadet. Operam suam liberaliter pollicetur. — 102. Ad Bernhardum Adelmannum. 1506. In fratris sui negotio (v. ep. 98.) se eo eventu contentum fore affirmat, quae res opera Bernhardi habuerit. Instrumenta et libros Graecos, ut sibi comparet, rogat. Pestilentia appropinquante praecepta periti medici petit. — 103. Ad eundem. (1506.) De rebus studendis, quae vulgo parum utiles habeantur, se excusat. Ut Bernhardus pestilentia grassante valetudini consulat, monet. Suidam impressum et nuntios, quibus itinera ad novas terras quaerendas a Portugalensibus suscepta describantur, exspectat. — 104. Ad Augustinum Moravum. (1506.) Per cives Pontenses Budam iter facientes, quorum negotium Augustino commendat, epistolam mittit, qua stipendium debitum et Plutarchum toties rogatum petit. Carmina se, quia librario caret, mittere non potuisse scribit. — 105. Ad Bernhardum Adelmannum. (1506.) (Initium epistolae simile est initio ep. 103.) Equum petitum se primo tempore missurum promittit. Suidam et opera Augustini mittenda urget. — 106. Ad Ioannem de Pibra. (1506.) Denuo de re Franconica (v. epp. 97. et 100.) et de libro, quem ab homine quodam Zacensi Ioannes iusto pretio emat, agit. — 107. Ad Ioannem Lachner. (1506.) Pergratam sibi amicitiam eius esse affirmans rogat, ut nova remedia contra pestilentiam mittat. — 108. Ad Augustinum Moravum. (1506.) Rogat, ut controversiam inter Cadanenses et se fratremque ortam pro viribus componat. Stipendio etiamtum nondum soluto petit, ut sibi saltem bobus satisfiat, quorum multa milia regio puero nato (Ludovico) in Pannonia regi donari solent. Plutarchum mittendum iterum rogat. — 109. Ad Bernhardum Adelmannum. (1506.) Etsi eum e Germania inferiore nondum rediisse putat, tamen ad eum epistolam scribit, qua amicitiam suam probat. Suidam sibi traditum scribit. — 110. Ad Augustinum Moravum. (1506.) Rogationem stipendii et Plutarchi repetit (v. ep. 108.) et Cadanenses Budam proficiscentes ei commendat. — 111. Ad Bernhardum Adelmannum. (1506.) Epistola sua a Bernhardo in patriam iam reverso (v. ep. 109.) nondum accepta veretur, ne quid adversi amico acciderit. Bellum intestinum Bohemiae imminere opinatur. Remedium contra pestilentiam instantem rogat. — 112. Ad Ioannem Lachner. (1506.) Ioanni medico pro medicinis contra pestilentiam commendatis gratias agit et ab eo novas rogat. — 113. Ad Augustinum Moravum. (1506.) Causam fratris ad munitiorem castelli (Cadanensis; v. ep. 90.) pertinentem commendat. Stipendium exsolvendum silentio praeterire mavult. — 114. Ad Bernhardum Adelmannum. (1506.) De equo nondum empto se excusat. — 115. Ad Ambrosium Chrt de Pilzna. (1507.) Rogat, ut Francisco Schneittel plebano designato ordinationem procuratore vice eius interim fungente differre liceat, quoad Bohuslaus opera illius utatur. — 116. Ad Casparum de Tachovia. (1507.) Rem Francisci Schneittel benigne expediendam demandat. — 117. Ad eundem. (1507.) Morem gerenti gratias agit. Ludos Pragae ad vulgus sedandum celebratos iniquo animo fert eorumque apparatus castigat. Regem nimia in haereticos indulgentia esse non probat. — 118. Ad Augustinum Moravum Olomucensem. (1507.) Stipendio tandem aliquando accepto laetatur. Iniurias adversariorum (Cadanensium) fratri sibi illatas contemptu dignas iudicat Augustinumque rogat, ne delationes mali-

gnas ad regem pervenire sinat. Carmina sua ab Augustino rogata, quae Bohuslaus potius nugas appellet, quamprimum se missurum pollicetur expectans eum vicissim Plutarchum sibi esse commodaturum. — 119. Ad Ioannem de Keyzersberg. (1507.) Meminit Petri Schotti defuncti Ioannisque erga e benevolentiam laudibus effert. Haeresibus in Bohemia in dies pululantibus omnia terrore compleri scribit. — 120. Ad Bernhardum Adelmannum. (1507.) Iterum (v. epp. 114.) se excusat de equo nondum misso. Libros Graecos Latinosque nuper editos expectat. Quae res in Germania inferiore gerantur, scire cupit. — 121. Ad eundem. 1507. Probat, quod in conventu Constantiensi Bernhardus legatus ecclesiae Eystetensis plurimum ad communem utilitatem afferat; decreta conventus cognoscere vult. — 122. Ad eundem. (1507.) Indignabundus scribit, quae sibi de papae consilio in vulgus edito videantur, ut imperium Romanum Germanis de ecclesia Romana semper optime meritis ablatum in Gallos transferatur; ob eam rem novas perturbaciones ecclesiae extimescit. — 123. Ad Augustinum Moravum. (1507.) Rogat, ut regi suadeat, ne calumniatoribus gentis Lobkowiczianae maiestati regiae deditae aures praebeat. — 124. Ad Casparem de Tachovia. (1507.) Excusationem accipit, quod Caspar negotiis occupatus nuntium sine epistola remiserit. — 125. Ad Ioannem Filipecz, olim episcopum Waradiensem. (1507.) Eum adit, ut pro gratia, qua apud regem valeat, hunc cuidam causae gentis Lobkowiczianae conciliet. — 126. Ad Bernhardum Adelmannum. (1507.) Queritur, quod tamdiu in conventu Constantiensi commoratur, sed se consolatur conventum utilia decreturum esse. Mavult imperium Romanum ad Italos reverti, quam ad Gallos transire. — 127. Ad eundem. (1507.) Resp. ad. App. 19. Laetatur reditu Bernhardi in patriam, sed iniquitatem temporum et regis procerumque scordiam incusat. — 128. Ad eundem. (1507.) Eadem deplorat de moribus, quae et Bernhardus. — 129. Ad eundem. (1507.) Originem morum corruptorum in principum ignavia et libidine ecclesiasticorum videt. Instrumenta mathematica rogat. — 130. Ad eundem. (1507.) Libris missis gaudet, alios comparare rogat. Speculum orbis missum mancum esse credit. De temporibus moribusque queritur. — 131. Ad eundem. (1507.) Rogat, ut indicem operum S. Augustini impressorum mittat. — 132. Ad eundem. (1508.) De sua insatiabili librorum aviditate iocatur. — 133. Ad Casparum de Tachovia. (1508.) Per se esse confitetur, quominus Franciscus Schneittel, cuius opera quotidie utatur, tardius ad ordines suscipiendos proficiscatur. — 134. Ad Ioannem de Tyn. (1508.) Per Franciscum familiarem refert, quid ab Ioanne petat, cuius opera id apud patres capituli Pragensis consequatur. — 135. Ad Casparum de Tachovia. (1508.) Franciscum familiarem suum commendat. — 136. Ad Bernardum Adelmannum. (1508.) Sigismundum Knobloch familiarem, qui in Germania militaturus est, commendat. Instrumenta astronomica comparanda petit. — 137. Ad Ioannem de Pibra (1508.) De scriptis impietatem continentibus et ab Ioanne missis horret, quae Martha (de Boscowicz) protegere audeat; miratur, quod sub rege catholico talis blasphemia in publicum prodcat. Veretur, ne edicta in haereticos proposita in irritum cadant. — 139. Ad Bernhardum Adelmannum. (1508.) Aegre fert cladem exercitui imperatorie a Venetis illatam. Aetatem suam iam multas rerum perturbaciones vidisscribit. Votum suum de re litteraria addit. — 139. Ad Ambrosium, decanum ecclesiae Pragensis. (1508.) Franciscum familiarem suum Ambrosio et patribus capituli Pragensis commendat. — 140. Ad Ioannem de Pibra. (1508.) Laetatur, quod puero regio (Ludovico) diadema Pannoniae impositum est, sed veretur, ne iunctio utriusque civitatis Pragensis proposita eventum exitialem habeat. — 141. Ad Casparum de Tachovia. (1508.) Franciscum Schneittel iterum commendat, cui duae condiciones offerantur, e quibus ei litteris apto Pragensem praeferendam esse iudicat. — 142. Ad Ioannem de Pibra. 1508. Delectatur hymno ad S. Agnetem ab Ioanne scripto et eundem in carmine Sapphico componendum promittit. — 143. Ad eundem. (1509.) Veretur, ne occulta procerum Pragensium odia apertam seditionem excitent. Ob miserum rerum domesticarum statum se publicis conventibus abstinere. Arsiliam Lusitaniae dicionis urbem (in Africa) a Mauris expugnatam nuntiat. Hymnum in S. Agnetem scriptum mittit. — 144. Ad Martinum Mellerstatinum. (1509.) De fonte haud procul a Praga nuper orto et mira salubritate aquae eius scribit. — 145. Ad Bernardum Adelmannum. 1509. De sollempnibus, quibus Praga egro puerulo diadema impositum est, et insignibus regiis scribit Bernhare

dum ad libros coeniendos hortatur. Bernhardo hortanti, ut studia vetera relinquens tandem ad sacrae scripturae lectionem se conferat, liberaliter respondet et motum animi eius sedare contendit. — 146. Ad Ioannem Sslechtam. (1509.) Gaudet, quod amicitia quattuor annis post inter eos iterum suscepta est. Quod Ioannes curam reipublicae non prorsus abiecerit, sed saepius Pragam veniat, conatus eius, cum respublica depravata sit, irritos esse arbitrat. Adventum eius gaudio exspectat.

b) *Epistolae incerti temporis: 147—170.* — 147. Ad Ioannem quendam (fortasse de Domaslavia). (1487.) Ioannem sacerdotio initiari volentem non deterret, consideret autem, quantis difficultatibus res obnoxia sit. — 148. Ad Matthaëum de Donersdorff. (1489.) Excusat se, quod in quadam sua re pecuniaria ope eius non usus sit. — 149. Ad Ioannem de Pibra. (P. 1492.) Ideo non scribit epistolas, quia nec ipse a Ioanne epistolas accepit. — 150. Ad eundem. (P. 1492.) De eadem re scribit. — 151. Ad Cristannum Pedick. (A. 1494.) Virtutes Ioannis a Sselmberck laudibus effert, ut opiniones eorum, qui dicant sua tempora illustrem virum non generasse, refutet. — 152. Ad Ioannem de Pibra. (1494. s. 1505.) Rem Ioannis sibi curae esse affirmat. Tela calumniatoris potissimum contemtu evitari posse declarat. — 153. Ad eundem. (P. 1494.) locose scribit insolentiam eorum offensione non esse promptam, quibuscum quondam familiariter egerat. — 154. Ad Ioannem Ridner. (1495.) Ioannem aetate iam grandiusculum uxorem duxisse comprobat, sed veretur, ne connubium eum a litterarum studio arceat, nisi ei uxor doctrinae dedita obtigerit. — 155. Ad magistrum Procopium. (A. 1498.) Rogat, ut sibi annales historiasque regni Bohemiae praebeat. — 156. Ad Ioannem de Pibra. (A. 1498.) Percontatur, num mandatum ad magistrum Procopium datum conferret. — 157. Ad Ioannem, canonicum Wratislaviensem. (P. 1498.) In negotio eius Augustano se ad Bernhardum Adelmannum iam scripsisse affirmat. — 158. Ad Ioannem Passek. (1500—09.) Ioannem Ssmidl Egrensem commendat, cui linguae Bohemicae discendae causa domi suae habitationem praebeat. — 159. Ad administratores archiepiscopatus Pragensis. (1501.) Rogat, ut Georgium capellanum suum voli compotem faciant. — 160. Ad Ambrosium de Plzna. (C. 1501.) Iterum rogat, ut lis Georgii capellani sui arbitrio Ambrosii ad finem perducatur. — 161. Ad Bernhardum Adelmannum. (C. 1501.) Nactus hominem Norinbergam proficiscentem epistolam mittit, etsi nil novi scribere potest. — 162. Ad Augustinum Moravum. (1503—06.) Rogat, ut Theobaldum patrualem suum desiderii compotem faciat. — 163. Ad Wenceslaum, dominorum de Rosenberck cancellarium. (A. 1505.) Rogat eum, ut in negotio, in quo de quodam homine contumaci agitur, epistola sub nomine domini sui scripta fortiora remedia adhibeat. — 164. Ad Ioannem de Pibra. (A. 1505.) Hortatur eum, ne iniqua fortuna animo deficiat, sed amicis bene suadentibus obsequatur. — 165. Ad eundem. (A. 1505.) Ioanni carminibus iam satiato promittit se scripta soluta oratione confecta esse missurum. — 166. Ad Ambrosium de Plzna. (1505—08.) Causam Nicolai Steinpach legitime expediendam rogat. — 167. Ad eundem. (1506—08.) Negotium Thomae hominis sui rustici, quod ad res ecclesiasticas quoque pertinet, rite absolvendum commendat. — 168. Ad Wenceslaum, archidiaconum Bilinensem. (1506—08.) Rogat, ut causae matrimoniali Thomae rustici (v. ep. 167.) tandem legitimum finem imponat neve rem procrastinet. — 169. Ad Christianum Langkheim. (1506—08.) Interrogantem, num homini litteris dedito uxor ducenda sit, dehortatur, quia sibi puellae Germanicae deliciores esse videantur. — 170. Ad Ioannem de Pibra. (1507—08.) Ioannem de Libnaw familiarem suum commendat.

c) *Epistolae Bohuslai in aliorum nomine scriptae: 171—173.* — 171. Capitulum dioecesis Olomucensis ad Alexandrum VI. summum pontificem. (1493.) Patres capituli Olomucensis conqueruntur, quod episcopatu Olomucensi non Bohuslaus de Lobkowicz, quem Fridericus imperator commendavit et Wladislaus rex a capitulo electum approbavit et nobiles ordinesque expetunt, sed cardinalis Montis Regalis, qui linguae morumque Bohemiae ignarus est et pericula, quibus ecclesia undique circumveniat, coercere non poterit, a pontifice praefectus est. Quare rogant, ut pontifex Bohuslaus episcopum confirmet. — 172. Ioannes Sturnus ad Augustinum Moravum. 1508. Elegiam consolatoriam ad Wladislaum regem in funere Annae reginae con-

iugis a Bohuslao et alteram eiusdem de peregrinatione eiusdem compositam mittit. — 173. Idem ad Bernhardum Adelmannum. 1508. Mittit libellum Bohuslai De avaritia et eiusdem carmen adhortatorium principes Christianos contra Turcos excitans, ut ea edat.

APPENDIX. EPISTOLAE AD BOHUSLAUM SCRIPTAE: 1—20.

1. A Petro Schotto. 1481. Scribit se una cum parentibus domi vitam quietam agere. Adhuc ignorat, quando sacerdos fieri possit. — 2. Ab eodem. (1481) Pater eius assentit, ut sacerdos fiat, ignorat autem, ubi et quando discat. De bello contra Hungariam et aliis rerum perturbationibus scribit. — 3. Ab eodem. (1482.) Resp. ep. 2. Bohuslaum aegrotare audivit. Contentus vita domestica a negotiis publicis abhorret. Libros nuper impressos expectat. — 4. Ab eodem. 1482. Ignarus loci, ubinam Bohuslaus sit, epistolam in castellum Hassenstein mittit. Segnitiam Bohuslai in epistolis scribendis incusat. Mox presbyter fiet. — 5. Ab eodem. 1487. Resp. ad ep. 12. Pro epistola et muneribus gratias agit et mutua mittit. Rogatu Bohuslai ad munus aulicum accessuri libellum mittet cum praeceptis, quae in aula regia observet. Bohuslaum de fratre suo Nicolao mortuo certiores facit. Tractatus haereticos a Bohuslao sibi missos contemnendos putat. — 6. Ab eodem. 1488. Per Fridericum familiarem Bohuslai libellum promissum „De vita Christiana salubriter instituenda“ (v. ep. App. 5.) mittit; de haereticorum doctrina non scripsit. Audivit Bohuslaum militem fieri vult, quod dehortatur. — 7. A Victorino de Wssehrd. (1490.) Resp. ad ep. 16. Pro satira Bohuslai ad S. Venceslaum scripta et tempora moresque notanti et sibi dedicato gratias agit. Eam laudat et in publicum rogatu Bohuslai non edet. — 8. Ab eodem. 1492. Resp. ad ep. 22. Bohuslaum e peregrinatione redeuntem salutatur; negotiis districtus autem eum salutatum ire non potest. Stolidos accusat, qui viros eruditos merito non aestiment. — 9. A Roderico Dubravo. (1494—95.) Pro benevolentia Bohuslai in Carolum fratrem et in se ipsum gratias agit. Bohuslao hortante non solum iuri civili, sed etiam eloquentiae studebit. — 10. A Martino Mellerstat. 1495. Resp. ad ep. 45. Gratias agit de libello De miseria humana sibi dedicato. — 11. Ab Augustino Moravo. 1497. Resp. ad ep. 50. Bohuslaum laudibus (v. ep. 50.) effert et facundiam eius in epistola ad Wladislaum rege scripta (v. ep. 49.) laudat. — 12. A Bernhardo Adelmanno. 1498. Bohuslaum aviditate librorum culpat, si eos permultos et multa pecunia emerit. Optat, ut Bohuslaus sacerdotium, quo dignus sit, assequatur. — 13. Ab Hieronymo Balbo. (1500.) Resp. ad ep. 58. Artem suam poeticam non sufficientem excusat. Microcosmum Sslechtæ censuræ causa Bohuslao mittit. Angustias suarum rerum domesticarum lamentatur. Bohuslaum se brevi aditurum esse nuntiat. — 14. A Roderico Dubravo. (1501.) Bohemiae gratulatur, quod Bohuslaum civem suum dicere potest. Ipse Bohuslaum mediocritate sua perspecta meritis laudibus efferre non potest. — 15. Ab eodem. (1501.) Resp. ad ep. 76. Libellum De componendis epistolis Bohuslao dedicat et sperat fore, ut ab eo probetur. — 16. Ab eodem. (1501.) Bohuslao mittit historiam Vlastæ a se scriptæ, quam ut examinet, rogat. — 17. Ab eodem. (1501.) Rogationem (v. ep. App. 16.) repetit. — 18. Ab Ioanne Sslechtæ. 1503. Resp. ep. 87. De negotio episcopatus Wladislaviensis nil bene sperandum esse scribit. Gaudet, quod Bohuslaus munere aulico relicto quietem privatae vitae quaerit et studiis litterarum se iterum tradit. Animi languorem regis castigat. Res in Silesia clericis laicisque inter se litigantibus miserrimas esse dicit. — 19. A Bernhardo Adelmanno. 1507. Resp. ep. 127. Rogat modum rationemque librorum Bohuslao coemendorum. Ligurinum mendose impressum Bohuslao corrigendum commendat. Expeditionem Germanorum in Italiam non prospere esse eventuram credit. — 20. Ab eodem. 1510. Amicitiam inter eos stabilem esse affirmat. Virtutes, quibus Germani olim alias gentes antecedere dicebantur, vitiis a populis finitimis receptis periisse queritur.

A) INDEX EPISTOLARUM.

a) Nomina eorum, ad quos Bohuslaus epistolas misit (1—170.)

Adelmannus, Bernhardus 7 9 26 42	Mellerstat, Martinus 5 6 45 80 144
48 66 70 77 78 82 85 95 98 102	Mezricensis, Valentinus 55
103 105 109 111 114 120 121 122	Niger Cadanensis, Bartholmaeus 79
126 127 128 129 130 131 132 136	Olomucense, capitulum 29 37 44
138 145 161	Passek, Ioannes 158
Adelmannus, Conradus 8	Paulus, abbas in Grynheym 14
Alchamer, Conradus 38	Pedik, Cristannus 15 151
Ambrosius, decanus ecclesiae Pra-	Pibreus, Ioannes 28 35 40 43 46 47
gensis 139	92 93 97 100 101 106 137 140 142
Augustinus Moravus Olomucensis 50	143 149 150 152 153 156 164 165 170
91 94 96 99 104 108 110 113 118	Pilzna, Ambrosius Chrt de 115 160
123 162	166 167
Balbus, Hieronymus 58 69	Piso, Stephanus 19 20
Celtes, Conradus 73	Plana, Venceslaus de 3
Cherubinus, frater ordinis minorum	Pragensis archiepiscopatus admini-
de observantia 83	stratores 159
Domaslavia, Ioannes de (13) 36 39	Pragensis ecclesiae praepositus 33
51 65 (fortasse : 147)	Procopius, magister 155
Donersdorff, Matthaeus de 148	Ridner, Ioannes 154
Dubravus, Rodericus 76	Schottus, Petrus 2 11 12 17
Filipecz, Ioannes, olim episcopus Wa-	Sselnerberck, Ioannes de 18 23 31 32
radiensis, deinde professor ordinis	67 72 74
fratrum minorum de observantia 125	Sslechta, Ioannes 52 53 54 56 57 59
Hulricus (Udalricus de Freundsberg),	60 61 62 64 68 75 86 87 88 89 90 146
episcopus Tridentinus 10	Tachovia, Casparus de 116 117 124
Ioannes, canonicus Wratislaviensis 157	133 135 141
Ioannes Filipecz v. Filipecz, Ioannes	Tyn, Ioannes de 134
Ioannes quidam (fortasse de Do-	Venceslaus, cancellarius dominorum
maslavia) 13 147	de Rosenberck 163
Keisersbergius, Iohannes 21 24 119	Vimpina, Conradus 4 81
Krumlow, Iohannes de 1	Wenceslaus, archidiaconus Bilinen-
Lachner, Ioannes 107 112	sis 168
Langkheim, Christianus 169	Wladislaus rex 30 49 71
Lupis et Hermansgrunae, Ioannes de	Wssehrd, Victorinus de 16 22 25 27
63 84	34 41

b) Epistolae Bohuslai in nomine aliorum scriptae (171—73.)

Capitulum dioecesis Olomucensis ad Alexandrum VI. papam 171

Ioannes Sturnus ad Augustinum Moravum 172

Ioannes Sturnus ad Bernhardum Adelmannum 173

c) Nomina eorum, qui ad Bohuslaum epistolas miserunt : Appendix

Adelmannus, Bernhardus 12 19 20	Mellerstat, Martinus 10
Augustinus Moravus 11	Schottus, Petrus 1 2 3 4 5 6
Balbus, Hieronymus 13	Sslechta, Ioannes 18
Dubravus, Rodericus 9 14 15 16 17	Wssehrd, Victorinus de 7 8

B) EPISTOLAE RESPONSORIAE.

App. 3: A Petro Schotto	2: Ad Petrum Schottum
12: Ad Petrum Schottum	App. 5: A Petro Schotto
16: Ad Victorinum de Wssehrd	App. 7: A Victorino de Wssehrd
22: Ad Victorinum de Wssehrd	App. 8: A Victorino de Wssehrd
45: Ad Martinum Mellerstat	App. 10: A Martino Mellerstat
50: Ad Augustinum Moravum	App. 11: Ab Augustino Moravo
58: Ad Hieronymum Balbum	App. 13: Ab Hieronymo Balbo
App. 15: A Roderico Dubravo	76: Ad Rodericum Dubravum
87: Ad Ioannem Sslechta	App. 18: Ab Ioanne Sslechta
App. 19: A Bernhardo Adelmanno	127: Ad Bernhardum Adelmannum

BOHUSLAUS HASSENSTEINIUS

EPISTOLAE.

a) EPISTOLAE CERTI TEMPORIS: 1—146.

1.

Ad Iohannem de Krumlow.
[1476. s. 1477. ineunte, Bononia.]

Clarissimo et splendidissimo viro Iohanni de Krumlow, eccle-¹
siae Pragensis decano pontificique iuris acutissimo interpreti, patri
sibi longe observando s. p. d. Accepi litteras tuas, pater optime,²
quae sane mihi plurimum voluptatis attulerunt. Nam cum doctrinae
et erudicionis in se multum continerent, accedebat tua singularis
humanitas, quod tu, vir tantae integritatis atque sapienciae, me
homunculum participem litterarum tuarum efficere non dubitasti.
Laetor igitur vehementer me quoque in tuorum numerum esse a-³
scriptum, pro quo si unquam tempus oportunum nanciscerer, parem
et longe maiorem gratiam totis referrem viribus. Quod vero petis,
ut regulo Rosensi non desim, id omni studio facere conabor. Nam⁴
et si suapte natura non possem, quin illum et diligam et admirer
tum propter praeclaram adolescentis indolem, ingenium suave et
mores plusquam aetas cuperet venustos, tum etiam propter illius
familiae longe lateque vulgatam gloriam et nobilitatem, tuae tamen
preces me eo ferventius excitant, ut illum benivolenter complecterer.
Sacerdos quoque A. mihi semper comendatus erit; est enim vir et⁵
modestia et severitate et constancia praeditus. Nunquam, quoad
vires patientur, illorum utilitati deero. Tibi vero propter tuum in-
credibilem in me amorem et me et mea cuncta devoveo. Vale. Me⁶
fratribus domini Petri comendabis nomine meo salutem et obse-
quium offerendo. B. de Lobkowicz.

2.

Ad Petrum Schottum.
20. Maii 1482., [Ferraria.] — Responsum ad App. 3.

Bohuslaus Bohemus clarissimo iuris utriusque interpreti do-¹
mino Petro Schotto de Argentina, amico singulari s. p. d. Cuperem
ad te late scribere: sed tot molestiis circumseptus sum, ut nihil
prorsus agere possim. Non satis est enim Venetos hostes nobis

imminere, sed etiam pestilencia urbem populatur: quae tamen omnia graviora mihi sunt, quam patriae calamitatem intueri. Literas 2 trinas a te recepi, quibus an vivam edoceri cupis. Habe breve responsum.

Vivo, licet nostrae forsitan Rhamnusia vitae
 Invideat: sed diva parens, quae pandit Olympum,
 Non sinit hanc animam, donec commissa priora
 Eluerit lachrimis, terrenum linquere corpus.
 Non Lachesis, non Clotho mihi, non Atropos ulla, 3
 Sed genitrix aderat summe veneranda Tonantis,
 Cui mare, cui tellus, cui coeli sidera parent.
 Haec tulit auxilium misero, Stygiaeque paludi
 Eripuit calidum prope iam Phlégethonta videntem.

Quid aliud scribam nescio quippe qui dubito, an hae litterae un- 4 quam ad te pervenient; adeo in incertum eas Bononiam misi. Ex eo enim tempore, quo Daniel recessit, nullum prorsus nactus sum, qui ad te proficisci vellet. Itaque si me idcirco tui immemorem 5 putas, quod raro a me litteras suscipis, iniquus es (ne dicam peius), qui me inaudito sententiam de meo in te animo fers. Petrus accelerat et non permittit aliud scribere. Vale. Tuus sum, si unquam 6 fui. Videbo te cicius, quam speras forte. Data M.CCCC.LXXXII die XX. Maii. Duo paria cultrorum mitto et in Hesiodum commentum.

3.

Ad Venceslaum de Plana.

11. Nov. 1485., ex Hassensteyn.

Doctori Venceslao de Plana etc. s. p. d. Etsi multa in mentem 1 veniunt, quae te cognoscere vellem, quoniam tamen brevi me apud te futurum spero, praetermittam caetera, et unum, quod sine periculo vix differri potest, ad te scribam. Domum felicitis Iohannis 2 administratoris vacuum esse ferunt: hanc mihi vendi vel locari aut ad habitandum per nonnullos annos concedi magnopere opto. Qua in re tua potissimum opera uti institui, quem ob doctrinam atque integritatem plurimum apud capitulum autoritate valere certo scio. Itaque te rogo pro veteri tua (qua me a pueritia complexus fuisti) 3 benevolentia, ut hanc provinciam suscipias: quoniam non dubito me facillime ea, quae cupio, si tu volueris, consecuturum. Utor eo 4 paucioribus verbis, quia ad te scribo, a quo nihil mihi impetratu difficile videtur: persuadeque tibi magnum cumulum ad tua pristina in me merita accessurum, si omni studio atque industria elaboraveris, ut ex tribus, quae memoravi, in uno a capitulo desiderio meo mos geratur: idque fac, ut eo celerius conficias, quoniam 5 multos me competitores habere audio. Vale. Ex Hassensteyn. 3^o Idus Novembris. Anno salutis M.CCCC.LXXXV.

4.

*Ad Conradum Vimpinam.**24 Apr. [1486.], ex Hassensteyn.*

D. Conrado Vimpinæ s. p. d. Averrois ille, non tam religione¹ quam lingua Arabs, volumen quoddam scripsisse fertur, cuius titulus est de Sectis, in quo multa adversus Christianam religionem evomit. Id in gymnasio vestro haberi audio, precorquē, si fleri potest, ut mihi tua opera excribatur. Cupio enim vehementer huius,² ut ipse videri vult, Peripatetici deliramenta cognoscere. Nam et venena tum optime caventur, cum deprehenduntur, et Christiana pietas, nescio quomodo, inter hostium blasphemias maxime elucescit. Dionysius etiam Alexandrinus episcopus ad Philomenem³ scribens se tractatus hæreticorum non sine fructu legisse refert. Neque mireris me abs te, cuius faciem prorsus ignoro, hæc exigere. Non solum enim doctrina, sed etiam humanitas in absenti-⁴ bus saepenumero cernitur; literae quoque tuæ, quas olim ad me dedisti, faciunt, ut omnia impetrabilia apud te arbitrer. Mihi certe⁵ nihil hoc tempore gratius facere potes, quam si id, quod tantopere opto, tua cura diligentiaque consequutus fuero. Mittam autem tibi sumptus, ubi primum rescripseris. Vale. Ex Hassensteyn. Aprilis 24.

5.

*Ad Martinum Mellerstat.**[1486. exeunte.]*

M. Martino s. p. d. Conradus N., quo tu (ut ego audio) fami-¹ liariter uteris, petivit a me superioribus diebus, ut in numerum meorum adscriberetur, quod profecto, quanquam mihi penitus ignotus erat, pro mea in omnes bonarum artium studiosos benevolentia facile impetravit. Putabam enim eum sincere amicitiam meam ex-² petere neque aliud in corde, aliud in ore habere: quando etiam insulsa illa barbaraque carmina, quæ ad me scripsit (dum amicitiae recens incoepæ aliquid tribuere cupio), plus, quam fas erat, et prosa et versu laudavi. Caeterum tantæ meæ in se humanitati³ homo nihili hanc gratiam retulit, ut versus in nostra editos officina sub nomine suo imprimi curaverit. Verum adeo inepte (nescio quid) loco prooemii praelusit, ut facile appareat voluntatem quidem eum furandi habere, sed artem prorsus ignorare. Quodsi existi-⁴ marem eum malevolentia aliqua aut odio nostri ductum id fecisse, graviter et iniquo animo temeritatem suam paterer: sed non ita est. Volebat enim bipes hic asellus auctoritatem apud discipulos suos industria nostra sibi quaerere. Itaque misereor potius hominis⁵ quam succenseo, et animum ad ulciscendum incitatum revoco et reflecto: quippe qui minime talis est, in quem ingenii mei tela coniicienda arbitrer. Garriat ille, circumblateret et inter pueros suos,⁶ quantum vult, gloriatur: neque solum mea aut Gregorii Tyfernii (quem pari iniuria afficit), sed etiam Vergilium et Homericam car-

mina sibi attribuat: nunquam tamen efficiet, ut nostra ira dignum iudicem. Caeterum tu, si honori, si famae familiaris tui consulere vis, curabis, ut deinceps a simili levitate abstineat neque aliorum gloriam sibi usurpet. Posset enim in quempiam minime mei stomachi incidere, qui et toti gymnasio vestro impudentiam eius notam faceret et Stesichori more cantare palinodiam compelleret. Vale.

6.

Ad Martinum Mellerstat.

[1486. exeunte.]

M. Martino s. p. d. Mirifice delectatus sum literis tuis. Erant enim non solum indices benevolentiae tuae in me, sed etiam plenae suavitatis et elegantiae. Scribis Conradum N. in Gallias secessisse neque tibi quicquam cum homine commercii ex illo tempore fuisse, quo animum meum ab eo alienatum intellexisti. Ago tibi gratias: nolim tamen adeo imbecillo animo abs te existimari, ut Conradi levitas mihi magnae curae sit. Admodum enim miserum esse oportet, cui, in re praesertim literaria, negotium exhibere posset. Socrates, cum aliquando pugno percussus esset, amicis iniuriam ulciscendam censentibus: Num (inquit) asinum quoque, si me calce feriret, in ius vocarem? Quamobrem nos quoque Conradum valere sinamus; satis nam poenarum luit, non modo a te, sed etiam, ut audio, ab Academia Lipsensi spretus et contemptus. Fortassis etiam hac infamia admonitus mutabit mores, neque deinceps id committet, quod semel tentatum parum prospere cessit. Neque est, quamobrem tu recessum eius iniquo animo feras: quoniam, si tibi haec mansuetiora studia voluptati sunt, Priamum apud te habes, Conrado omni genere doctrinae praestantiorum: quem quidem ego adeo tibi commendo, ut nihil sit, quod mihi hoc tempore gratius facere possis, quam si hominem non dilexeris solum, sed etiam amaveris; quamquam spero, ubi ingenium et eruditionem viri cognoveris, eum etiam sine literis meis apud te gratiosum fore.

7.

Ad Bernhardum Adelmannum.

[1486. exeunte.]

Bernhardo Adelmanno s. p. d. Quae apud nos gerantur, arbitror te iam fama cognovisse. Flagramus enim omnes incredibili studio belli gerendi adversus nonnullos Germaniae principes, a quibus nos insigni contumelia affectos existimamus, quod regem nostrum ad suffragium de novo imperatore eligendo ineundum contra antiquam consuetudinem minime vocaverunt. Neque deerunt iustissimae nostrae causae Pannoniae Poloniaeque reges; quorum alter odio quodam Germanicae nationis, alter patria pietate motus, ingentia nobis auxilia pollicetur. Sunt praeterea ad Gallos Anglosque legati, si qua ratione reges illarum gentium adversus M. con-

citare possent, ut duplici bello disiunctissimis in locis implicitus, debilior ad resistendum sit. Nec dubitaturi sumus, si res nostrae parum ex sententia procedent, etiam Getas Scythasque, quos Tartaros appellamus, in societatem belli recipere. Vellem, si fieri posset, de his rebus tecum colloqui et more nostro veteri, dum tu tuorum et ego meorum virtutem in coelum tollimus, plurimum temporis altercando consumere. Quoties enim illo versiculo uterer: 4

quae miseris caedes Laurentibus instant?

Quoties exercitus vestros fusos fugatosque et veteres nostras victorias commemorarem, ut tibi homini eloquentiae studiosissimo ne nutire quidem liceret? Habes publica: nunc privata accipe. Ille enim tuus Bohuslaus, qui apud Parnassum et Heliconam in umbra latere solebat, quique otii et tranquillitatis semper cupidissimus fuit, vastum illud curarum et sollicitudinum pelagus sponte ingreditur, et eo ambitionis processit, ut fumis falsarum dignitatum atque honorum excaecatus in aulam regiam, a qua semper abhorrebat, et in turbulentissimas tempestates se conicere audeat. Quamquam, ut tibi aperte fatear, non tam honores me in hanc sententiam ducunt, quam quaedam pietas in patriam, pro qua etiam mori pulcherrimum putarem, si morte mea pristina illi gloria repraesentari possit. Hanc ego si a nonnullis, qui non patriae solum, sed etiam Dei inimici sunt, pro viribus tutatus fuero, maiorem me profecto fructum consecutum arbitrabor, quam si in bonarum artium studio et literis consenescerem: quae tum demum laudabiles atque expetendae sunt, si ex his etiam aliquid ad communem utilitatem confertur. Haec sunt, quae tibi hoc tempore scribenda existimavi. Si quid praeterea memoratu dignum eveniet, non gravabor, cum primum aliquem vestratem nactus fuero, te facere certiores. Vale, et fac ut sciam, quid N. noster agat, quoniam dormire mihi videtur. 8

8.

Ad Conradum Adelmannum.

[1486. exeunte.]

Conrado Adelmanno s. p. d. Redditae sunt mihi abs te literae plenae studii, officii et tuae in me benevolentiae, quibus (ut tibi aperte fatear) varie affectus sum. Iucundum enim erat cognoscere Hulrico meo dignum virtute sua locum obtigisse: sed moleste tuli fratrem tuum, virum optimum et mei unice studiosum, in Galliam secessisse, cuius ego lateri (quoniam nunquam alicuius consuetudine et familiaritate aeque delectatus sum) semper haerere voluissem. Neque tamen reprehendo consilium hominis, sed laudo et admiror gravitatem et constantiam, quod nec deliciis abduci nec laboribus a studio sapientiae deterreri potest: quandoquidem hoc tempore (nescio quo fato) virtutes cedant voluptatibus et Epicuri schola verbis quidem ab omnibus gymnasiis explosa sit, moribus autem passim probetur. Id cum fratri tuo admodum perniciosum 4

videretur, maluit virtutis gratia omnia experiri quam in patria per ocium et voluptatem diffluere. Neque dubitarem, si mihi ex animi arbitrio vivere liceret, secum non Gallias solum, sed etiam toto divisos orbe Britannos et ultimam Thulen adire. Quamobrem vereor, 5 ne huiuscemodi profectionem suam dolere invidi sit potius quam amici. Solantur me etiam literae tuae, quibus mihi omnem operam adeo liberaliter polliceris, ut me haec legentem, nescio quis stupor invaderet. Neque enim familiaritas, quae inter nos Ferrariae fuit, 6 spem mihi afferebat, ut me tanto abs te affectu complexum putarem. Itaque hanc tuam erga me humanitatem mirifice probo et in pectus meum penitus admitto, nempe qua me tibi perpetuo obnoxium reddidisti. Vale.

9.

Ad Bernhardum Adelmannum.

[1486. exeunte.]

Bernhardo Adelmanno s. p. d. Audio te in Galliam amor^e 1 literarum profectum esse: ideo consilium tuum vehementer probo. Neque hoc exiguum aetatis, quod nobis a natura datum est, melius impendi potest. Si enim negociatores, quoties eis aliqua spes lucri 2 proponitur, non solum ultima quaeque terrarum loca lustrant, sed etiam omnes labores atque pericula sponte subeunt: quid est, quod nos ab inquisitione huius preciosissimi humanarum rerum thesauri detertere queat, praesertim cum non desint nobis maximorum virorum exempla, qui amore sapientiae omnes gentes atque nationes (quoties eos alicuius doctrinae fama ducebat) pervagati sunt? Neque 3 senibus turpe putabant ea discere, quae iuvenes neglexerunt: quin etiam quidam ex eo numero in extrema senectute magistro ad lyram usus dicitur, et alius gloriatus est se quotidie aliquid discentem senescere. Tibi vero in ipso aetatis flore, si quis hoc tantum bo- 4 narum artium studium vitio daret, nonne desipere, delirare et plane furere videretur? Mecum tamen aliquanto deterius agitur, quoniam procul abes, et neque tam frequentes literas ad me dare neque tanta diligentia ea, quae ad me pertinent, curare potes. Fero tamen 5 desiderium tui, quoniam te propediem plenum Gallicarum mercium, hoc est omni literarum genere ad nos rediturum spero. Solatur me etiam fratris tui, optimi viri, humanitas, qui nuper omnem mihi suam operam per literas pollicitus est: quod eo gratius fuit, quoniam minime mihi tanta cum eo familiaritas Ferrariae erat, ut aliquid huiusmodi ab eo expectare debuerim. Caeterum ne te apud 7 Gallos a servitute mea liberum existimes, pro nostra mutua benevolentia te etiam atque etiam rogo, si quae historiae Galliae, Britanniae etc. omnium denique illarum gentium, quae Rheno, Rhodano etc. Internoque mari ambiuntur, in manibus sunt, ut me earum participem facias. Neque ego in his eloquentiam, sed fidem rerum gestarum requiro. Hac in re si mihi morem gesseris, magnus ad 8 tua in me merita (quod iam non arbitrabar fieri posse) cumulus accedet. Vale.

.10.

Ad Hulricum episcopum Tridentinum.

[1486. exeunte.]

D. Hulrico episcopo Tridentino s. p. d. Etsi tardius fortasse 1
quam oportebat, honori tuo gratulor, pater optime, gratulor tamen
et, ut tibi pontificatus iste sempiternae laudi gloriaeque sit, magn-
opere opto. lampridem enim virtuti tuae debebatur huiusmodi lo- 2
cus, in quo non solum lumen animi, ingenii consiliiue tui osten-
dere, sed etiam multis praesidio atque salutis esse possis. Neque 3
enim vereor, ne tu omnis doctrinae et virtutis speculum aliter te
geras, quam magistratus, in quo constitutus es, postulabit. Si
enim in adolescentia et vita privata, ubi et venia aetati dari pot-
erat et spes coelandi erat, semper caste integreque vixisti, multo
profecto magis id nunc sperandum est, cum senior factus sis et
omnium ora atque oculi in te coniiciantur, ut nullum dictum fac- 4
tumve tuum obscurum esse possit: quanquam scio (quae tua pro-
bitas est) etiamsi anulus ille Lydii pastoris tibi contingeret, ni-
hil te omnino acturum, quod a iusticia et aequitate alienum
esset. Itaque si Plato beatas putat respublicas, in quibus aut prin-
cipes philosophantur aut philosophi praesunt: nonne felicem iudi- 5
cabimus plebem Tridentinam te pastore, qui et sapientiam ad co-
gnoscendum ea, quae virtutis sunt, et voluntatem ad agendum et
animum ad exequendum habes? Neque me fugit non esse absur-
dum commemorare hoc loco, quae Paulus apostolus in episcopo 6
requirit: sed nolo in sylvam ligna ferre et sus (ut aiunt) Miner-
vam instruere. Ita enim haec omnia ab initio pueritiae didicisti et
hausisti, ita animum tuum longa bene agendi consuetudine atque 7
exercitatione instituisti, ut multo prius moribus quam dignitate
episcopus esses. Neque haec tibi suspecta sint. Scis enim, utpote
naturae meae magna ex parte conscius, me semper hoc adulandi 8
vitium etiam apud milites gloriosos plurimum horruisse. Apud te
vero, cui veritas maxime grata est, si huiusmodi assentationibus
et blanditiis uti vellem, coecum me profecto et praecipitem ferri
confiterer. Si tamen imprudens verecundiae tuae ruborem incussi,
ignosce, quaeso, mihi idque tum culpa tuae, quoniam qui bene 9
agit, bene quoque audiat necesse est, tum etiam veteri nostrae
familiaritati adscribe. Noli enim existimare me adeo fracto imbe-
cilloque animo esse, ut propterea, quod in tam alto dignitatis gradu 10
collocatus es, nihil abs te antiquae nostrae consuetudini tribui
velim. Neque enim meo iuri penitus renunciavi: sed quanquam te
pro officii tui excellentia atque observatione semper observavi, ad-
huc tamen mihi aliquid vendico. Qua in re si tibi videor perfri-
cuisse frontem et audacior esse, quam velis, erit humanitatis tuae pro 11
singulari illa benevolentia, qua me olim complexus fuisti, omnia in
dextram partem accipere. Vale.

11.

*Ad Petrum Schottum.**10. Apr. 1487., ex Hassenstein.*

Bohuslaus de Lobkowicz clarissimo iuris utriusque doctor domino 1
 Petro Schotto Argentinensi, amico carissimo, s. p. d. Mi frater, mi frater,
 mi frater, ne succenseas, si tardius et rarius, quam speraveras, litteras
 accipis, neque idcirco animum meum erga te mutatum existimes, neque
 hoc ignaviae aut negligenciae meae ascribas: sed quia aut nulli aut
 quam paucissimi sunt, qui hinc ad te profisciscuntur. Nunquam enim 2
 aliqua vis fortunae tanta erit, ut me abs te, saltem animo, separaret;
 neque mihi aliquid graciosius accidere potest, quam tuae iucundissimae
 consuetudinis reminisci. Quae etsi tibi persuasa esse non 3
 dubito, delectat me tamen de his rebus scribere, quae ad amorem
 nostrum confirmandum maxime pertinent: praesertim cum nullum
 aliud scribendi genus se mihi offerat, nisi forte de valitudine mea
 edoceri cupis, quam vel ex hoc cognoscere potes, quia ad te
 scribo: quod infirmi facere non consueverunt. Te quoque et animo 4
 et corpore valere opto et in pristina erga me benivolencia perseverare,
 quod quidem mihi est exploratum. Nam nuper magister Iohannes ordinis
 Praedicatorum, prior Ratisponensis de tuo in me affectu multa mihi scripsit. Vale. Mitto tibi munuscula, quae
 fac grato animo suscipias. Ex Hassenstein, die X. Aprilis. Anno
 MCCCCLXXXVII.

12.

*Ad Petrum Schottum.**10. Aug. 1487., ex Hassenstein.*

Bohuslaus de Hassenstein venerando doctissimoque viro domino 1
 Petro Schotto, canonico apud S. Petrum Argentinae ac i. u. doctori,
 amico inter praecipuos, s. p. d. Vereor, ne subirascaris silencio meo,
 Petre iucundissime, qui ex eo tempore, quo tecum Argentinae fui,
 unas duntaxat ad te litteras dedi: quanquam ex tuis postremis
 literis intellexi negligencia Bernhardi mei Adelmani factum esse,
 ut ne illae quidem ad te pervenerint. Quod eo mihi 2
 molestius fuit, quoniam in eis omnem vitae meae condicionem
 complexus sum. Caeterum si succenses solum, non est, cur aegre
 feram: sin autem meam erga te benevolenciam non dico extinctam,
 sed plane imminutam putas, vehementer iniquus es. Iampridem 3
 enim te nosse oportebat, radices amicitiae nostrae alcius solo
 inhaerere, quam ut ullis fortunae turbinibus convelli possint:
 quod si tibi ante oculos curas sollicitudinesque meas ponere possem,
 mirareris profecto tantum mihi ocii superesse, ut haec ad te
 scribere potuerim. Noli enim existimare me rhetorum et eorum, 4
 qui de republica scripserunt, praeceptis vacare, atque ut tu me
 forsitan facere velles, movere affectus et animos hominum aut ad pietatem,
 continentiam, modestiam iusticiamque incitare aut ab intemperancia,
 libidine, avaricia crudelitateque detertere. Quae utique 5

tolerabilia essent et studiis meis atque professione non indigna. Verum rem familiarem, a qua semper abhorruī, cogor curare, par-
tiri inter villicos officia, praescribere, quid unumquemque facere
velim, audire, quid acceptum expensumque ferant; hos messi, alios ⁶
foenisicio, illos vindemiae, alios pecuariis praeficere; videre, ne
incuria eorum arescant prata, sterilescent segetes, arandi, occandi,
sarriendi, runcandi tempora pereant; iubere (ubi res postulat) putari, ⁷
ablaqueari pampinarique vineas, ut mihi tandem praeter senten-
tiam meam minime operam perdidisse videar, quod Catonem, Var-
ronem et caeteros rerum rusticarum scriptores legerim. Neque haec ⁸
tibi ridicula videantur, quoniam, ut ait ille, huiusmodi homines
minime male cogitantes sunt. Quodsi adesses et me inter Tityros
Corydonesque meos diligentissimi patrisfamilias munus obire cer-
neres, exclamares profecto:

O fortunatos nimium, bona si sua norint,
Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus,

et reliqua, quae poeta ille omnium maximus divinitus cecinit. Cae- ¹⁰
terum utcumque se hae res habent, ego non magnopere abnuerem,
quin, si fieri possit, in hac vita, si plena laboris, at certe minime
ambiciosa, consenescam. Sed restat mihi vastum illud et turbulen- ¹¹
tissimum curiae pelagus, ad quod enavigandum scis quo ingenio,
qua eloquencia et, quod maximum est, qua felicitate opus sit.
Neque mihi quicquam hactenus impedimento fuit nisi fratrum ¹²
dissensio, quos in mutuam perniciem aliquantulum exasperatos,
quotidie blanda oratione ad concordiam pellicio. Itaque, si tan- ¹³
tum ocii est, te pro nostra mutua benevolencia eciam atque eciam
rogo, ut ea de re exiguum ad me libellum conscribas et doceas,
quid mihi potissimum in hoc novo vitae genere faciendum, aut
quorsum curas cogitationesque meas dirigendas existimes, quon-
iam solum te duce per hos conciti maris fragores integro animo,
hoc est neque adversis rebus fracto neque secundis elato, ad por-
tum me pervenire posse arbitror. Id si feceris, quanquam vix fas ¹⁴
puto me aliquid abs te impetrare non posse, magno tamen me
tibi beneficio devincies. Neque necesse est commemorare, quibus
potissimum periculis huiusmodi genus hominum subiectum sit
(quandoquidem pro tuo ingenio atque erudicione ea tibi facilia
cognitu sunt), sed voluntate duntaxat et labore opus est, quem
recusare pro amici salute forsitan impium esset. Multa sunt alia, ¹⁵
quae tibi scribere vellem, sed ea partim ex nuncio cognosces, par-
tim ego, ubi plus ocii nactus fuero, ad te scribam. Vale. Paren-
tes cum filia et nepte, genero et progenero, et potissimum patrem
meum, doctorem Keisersberg, salvere iube. Stephanus quoque et
Fridericus te magnopere salvere iusserunt. Iterum vale. Ex Has-
senstein quarto Idus Augusti. Anno post natum Salvatorem
M.CCCC.LXXXVII.

13.

*Ad Iohannem [de Domaslavia].**[1487.]*

Iohanni suo s. p. d. Liber, in quo iura regni nostri et plera-
que alia memoratu digna continentur (quem mihi nuper Basstinus
te autore commodavit), magnopere me delectat: sed librarium,
qui hunc exscribat, non invenio. Itaque si efficere possis, ut mihi
vendatur, magno me tibi beneficio devincires. Neque dubito, quae
tua est apud Basstinum autoritas, quin, si paululum adniti volu-
eris, me voti compotem redditurus sis. Neque tibi soli, sed etiam
optimo illi seni (quem ego iusto illi Simeoni simillimum credide-
rim) plurimum obligabor, si huic desiderio meo, qualicunque tan-
dem precio, morem gesserit. Si tamen haec Basstino displicere
intellexeris, facito, ut quamprimum obmutescas. Animus enim mihi
est nihil omnino committere, quod hominem perturbare possit. Vale.

14.

*Ad Paulum abbatem in Grynheym.**[1489., Praga.]*

Venerabili patri Paulo, abbati in Grynheym s. p. d. Cupiebam
hoc tempore, venerande atque optime pater, ad te proficisci et au-
xilium abs te pro nostra veteri, quantulacunque tandem ea est, fami-
liaritate expetere. Caeterum non potui veniam abeundi ab illustris-
simo domino meo obtinere, et ideo negocium, quod ipse agere
institueram, fratri meo dedi, qui quicquid tecum loquetur, ita velim
accipias, tanquam a me dicta sint. Petiturus enim est tibi quidem
(ut ego arbitror) facilia, sed quae mihi adeo grata acceptaque erunt,
ut nihil omnino sit, quo me tibi monasterioque tuo magis devincere
atque obligare possis. Multa quidem inter Grynhaymensis abbates
et maiores nostros ultro citroque collata beneficia sunt, sed ea
omnia non solum renovata, sed etiam aucta putabo, si desiderio
meo morem gesseris et huic meo honesto salutarique proposito
opem tuleris. Vale.

15.

*Ad Cristannum Pedik.**[1489., Praga.]*

Bohuslaus de Lobkowicz Cristanno suo Pedik s. p. d. Situm
Pragae et incolentium mores ad te scribere institui, urbis magnae
et olim inter civitates Germaniae imprimis clarae. Libussa hanc
condidit, tanta apud nostros, quanta Carmentis apud Romanos.
Neque enim ceteris populis vetustas nostra fabulis cedit. Universa
in tres dividitur partes, quas veterem, novam et minorem Pragam
appellant. Minor a tribus lateribus collibus, ut plurimum vitibus
consitis, cingitur. In quorum uno arx, regum nostrorum hoc tem-
pore sedes, sita est. Orientalem partem Multavia alluit, amnis in

nostris gentibus celebratus. Fertur hic primum praeceps in sep-
 temtrionem, deinde flexus in ortum veteris Pragae duo latera ambit,
 et apud Mielnikam sedecim ferme milibus passuum a Praga Albi
 miscetur. Orientem veteris Pragae planities excipit. Id, quod restat, 4
 nova Praga habet; quae meridiem versus per ripam fluminis usque
 Wyssegradum in longitudinem protenditur. Latera eius hinc colles,
 hinc Multavia claudit. Wyssegradum celebris olim arx erat, et inter 5
 decora regni nostri memorabilis. Premislaus eam condidit, sed, ut
 tum res ferebant, neque quod aetas nostra admirari possit. Ceterum 6
 Wratislaus, qui primus ex principibus nostris ad regium culmen
 provectus est, Wyssegradum et valido muro cinxit, et pulcherrimis
 aedibus exornavit. Neque contentus eo, templum quoque Divi Petri 7
 eo loco aedificavit atque adeo magnifice dotavit, ut ex proventibus
 eius trecenti sacerdotes, unusquisque pro dignitate sua, honeste ali
 et vestiri potuerint. Regibus Wratislaum secutis omnibus ferme haec 8
 arx sedes erat. Novissime autem sub Sigismundo rege, qui Ro-
 mano quoque praefuit imperio, secta, quam Wiclefistarum appel-
 lant, tum primum consurgente, a Pragensibus, quod in fide Sigis-
 mundi permaneret, acerrime oppugnata est. Cumque Sigismundus 9
 obsessis auxilium laturus cum ingentibus copiis advenisset, Pra-
 gensibus in se praeter spem irruentibus, trepidus aufugit, multis
 prius milibus suorum interfectis. Ita arx ipsa in potestate Pragen- 10
 sium facta est, et funditus deleta. Exstat non procul inde Divi Pan-
 gracii sacellum, in quo corpora nonnullorum procerum, qui in eo
 proelio ceciderant, requiescunt. Wyssegradum nova Praga sequitur, 11
 olim veteris Pragae suburbium; sed Karolus rex eam moenibus
 cinxit, et civitatis nomen habere iussit, multaque privilegia et im-
 munitates incolis eius contulit. Coenobia praeterea Sancti Karoli, 12
 Sanctae Catherinae erexit et id, quod Sclavorum vocant, nonnullaque
 alia, quae civitati novae non parum ornamenti adferebant. Sed haec 13
 omnia aetate nostra magna ex parte diruta sunt. Apud sacrarium
 Corporis Christi, Karolo regnante, ostendebatur lancea, qua latus
 Domini transverberatum est, et pleraque alia eius generis, quae
 demum rebus perturbatis per Sigismundum Caesarem Nurenbergam
 translata sunt. Vetus Praga nulli urbium inferior, sive salubritatem 14
 coeli et eorum, quae ad victum pertinent, copiam inspicis, sive
 multitudinem populi et aedificiorum ornatum. Est praetorium di-
 gnum, in quo tantus senatus de republica consultet. Est collegium 15
 Karoli, singularis excellentiae domus. Est aedes Divae Virginis,
 quam Laetam Curiam nominant. Neque tamen templum Divi Iacobi
 et ceteras ecclesias, quae hoc tempore exstant, contemnere oportet.
 Nam magnam earum partem ex ruinis solum cognoscimus. Annis 16
 enim abhinc septuaginta, inter cetera mala haec quoque pestis apud
 nos Zyżka, ut ferunt, auctore inolevit, ut ecclesiae passim impune
 vastarentur, tamquam stultum esset maiestatem Dei, quae coelum
 terramque replet, templi parietibus includere. Sunt multa etiam 17
 publica privataque aedificia memoratu digna, quae referre super-
 fluum est. Aeneas Silvius, omnis historiae unice curiosus, in libris,

quos de rebus nostris composuit, negat Pragam Florentiae cedere; cuius testimonium, utpote Itali, eo gravius esse debet, quod id 18
genus hominum in gloriam sui effusissimum est. Veterem Pragam
minori iungit pons e quadrato factus lapide et duabus turribus,
quarum quaelibet unam fluminis ripam occupat, conspicuus. Minor
Praga memoria mea ruinis universa deformis erat. Cives ob in- 19
opiam sordidas exercebant artes. Iamque eo ferme pervenerat, ut
vix nomen civitatis retineret. Ceterum nunc sub rege Wladislao
aliquantum se erigunt. Neque dubito, si res rursus innovatae non 20
fuerint, quin brevi tempore et aedificiis et civium praestantia clara
illustrisque futura sit. Minori Pragae arx Pragensis imminet, in-
signis illo longe lateque memorabili Divi Viti templo, in quo cum
multa sanctorum corpora reconduntur, tum Divi Venceslai, qui
primus tantae molis fundamentum iecit. Huius ecclesiae pontifices 21
ultra metropoliticum decus, etiam legati munere fungebantur. Exstat
in eadem arce nobile Karoli opus sacellum Omnium Sanctorum,
multis, ut perhibent, periuriis infame. Coenobium quoque Virginum 22
Divo Georgio dicatum, quod Wratislaus, Divi Venceslai pater,
condidisse traditur. Regia quoque ipsa, quae cum olim insignibus
structuris conspicua esset, postea (ut omnia in terris caduca) tota ferme
vetustate collapsa est. Sed Wladislaus rex eam muro, fossis et ag- 23
gere mirae magnitudinis cinxit: extruit praeterea quottidie secto
saxo, picturis ornat, et tanto sumptu atque impendio aedificat, ut
intra paucos annos cum praestantissimis Europae operibus certa-
tura videatur. Et Pragae quidem situs ita se habet. Plebs autem 24
ipsa ventri universa servit, neque quicquam in rebus humanis cibo
et potu expetibilius iudicat. Frugi et in victu parcum esse in pro-
bris habent. Nullum precium magnum videtur, si quid venale est, 25
quod gulam delectat. Ebrietatis exiguus pudor: palam et in plateis
compotant; et quotiens unus in manus poculum sumit, totiens et alii.
Quam consuetudinem Rudericus, Burgensis episcopus et Concilii 26
Basiliensis legatus, facete irrisit, mirari se dicens naturam nostro-
rum hominum, quod uno sitiante omnes sitirent. Inter potandum 27
tempus sermonibus terunt, et fabulae, quae in Italia in tonstrinis,
hic in cauponis narrantur. Unusquisque, quod sibi verisimile vide-
tur, refert. Et ut talium hominum mos est, quae ipsi finxerunt, ab
aliis se audivisse commemorant. Erga hospites benigni sunt, solis 28
tamen his, qui Germanica lingua utuntur, infensi, quod eos maxime
religioni suae adversari putant. Feminae eorum facie decora, vultu 29
modesto, corporibus plerumque obesis, mammis ut in Meroe natae
viderentur, alloquio blando, illicibus oculis; amplexus, etiam
praesentibus maritis, honesti sunt; oscula impudicitiae signa ex-
istimantur. Pronu suterque sexus in libidinem. Facilis enim transitus 30
est a Cerere et Libero ad Venerem. Neque tamen, quod mirum
est, in tanta urbe ullum lupanar: cuius rei auctores sacerdotes, qui
nullum manifestum delictum, etiam maioris mali vitandi gratia 31
truduntur in carcerem, tamquam magni alicuius criminis rea. Ce-

terem vix domum invenies, in qua nulla lupanari digna sint, ut
 iam apud Germanos frequens proverbium sit: prostibulum Pragae
 incendio absumptum esse, sed eius incendii reliquias per totam
 urbem dispersas. Magna in hoc populo superstitionum licentia, ³²
 neque cuiquam fraudi est religionem, quam vult, sequi. Nam ut
 taceam Wiklefistas et quos vulgus Pichardos appellat, sunt, qui
 Iesum Christum Salvatorem nostrum Deum negant: alii animas ³³
 nostras cum corporibus simul interire aiunt: nonnulli unumquemque
 in fide sua salvari posse affirmant: plerique autem superos inferosque
 omnes fictos esse arbitrantur. Et innumera huius modi, ³⁴
 quae sponte praetereo. Neque haec solum sentire, sed palam praedicare
 licet. Disputatur passim de fide, et senes et iuvenes, viri
 et mulieres Scripturam sacram, quam nunquam didicerunt, et docent
 et interpretantur, nec ulla secta, cum primum in lucem prodit,
 astipulatoribus caret; tanta est in eis rerum novarum aviditas. ³⁵
 Feroces sunt et animo ad superbiam proclivo, quippe qui nullam
 vicinarum gentium secum virtute exaequari credunt. Facile tumultuantur, ³⁶
 quamquam ubi tumultuari incipiunt, non sunt hi, qui facile sedari
 possent; ruunt, quocunque furor et rabies ducit, neque rectis
 consiliis atque admonitionibus locum relinquunt. Sub Venceslao rege ³⁷
 primum, deinde etiam sub Sigismundo irrumpentes in senatum,
 omnes, qui aderant, partim gladiis interfecerunt, partim ex altissimis ³⁸
 fenestris praecipitarunt. Idem aetate quoque nostra sub Wladislao
 rege fecerunt, ut iam ordinem senatorium Pragae imprecari in
 maledictis sit. Neque eo contenti, Iudaeorum domos diripuerunt;
 spoliaverunt monasteria, religiosos et cuiusque generis homines, ³⁹
 qui Romanae adhaerebant ecclesiae, urbe eiecerunt. Iniquo
 animo tum alia; tum caedem senatus Wladislaus tulit: procerum
 quoque magna pars et optimus quisque civium popularem hanc
 licentiam magnopere abhominati sunt. Neque praeterea quicquam ⁴⁰
 inde secutum est. Quis enim scelus concitatae multitudinis facile
 corrigat? praesertim cum non deessent, qui non solum excusarent
 facinus, sed etiam recte factum contenderent. Dicebant eos, nescio ⁴¹
 quid, in perniciem reipublicae machinatos esse; fingeant impudentissime,
 quicquid rem verisimilem faciebat. Obiciebant mortuis crimina,
 cum iam obiecta diluere non possent, et, tamquam non esset
 satis vitam eis abstulisse, infames quoque reddere sathagebant,
 quae stultis et rerum omnium imperitis forsitan persuaserunt;
 prudentiorum certe mentibus haerebat aetas interfectionum case ⁴²
 integreque acta et vox, quam plerique eorum morientes quidem,
 sed libertatis suae minime obliti, et testem innocentiae et maximi
 animi indicem profuderunt. Ingenium huic populo a natura satis ⁴³
 acutum est, sed luxu et desidia plerumque corruptum. Neque enim
 ex tot milibus artificum, quos mechanicos appellamus, aliquem
 invenies, qui singulari artis suae peritia ceteris antecellat. Qui tamen ⁴⁴
 foro vacant, et eloquentes et in dicendo graves atque copiosi habentur.
 Vestitus, quo prisci Pragenses utebantur, penitus in desuetudinem abiit;
 hoc autem tempore inter Germanos Pannoniosque

medius est. Nam in utrisque harum gentium aliquid imitantur, ce- 45
terum minime perpetuus est, et quolibet ferme anno (tanta est ho-
minum inconstantia) mutatur. Habitus tamen Persici, quos ssuas 46
appellant, pristinam formam retinent, quoniam lineis vestibus, qua-
rum nunc frequentissimus usus est, maxime congruit. Quamquam 47
enim maiores eorum frigoris, caloris, sitis et inediae patientissimi
fuerunt et corporibus ad labores sustinendos firmissimis: hos tamen
epulae quotidianae, scorta et otium ita enervant, ut eis iam non
solum arma, sed etiam vestimenta oneri sint. Nocentem supplicium 48
luere in hac urbe perquam rarum est. Persuaserunt enim sibi, pre-
sbyteris suae sectae huius sententiae auctoribus, nefas esse et legi
divinae penitus adversum hominem, etiamsi scelestissimus sit, in-
terfici, tamquam Dominus non praecepisset Moysi, ne maleficos
super terram vivere patiatur. Quicquid enim Christianae consuetu- 49
dini contrarium est, id si aliquo divinae Scripturae testimonio, tam-
etsi male intellecto, confirmare et fucare paululum possunt, mox
exultant gaudio, tamquam nos omnes orthodoxae fidei cultores et
doctrina et sanctimonia vincerent, idque pro scuto firmissimo sui
schismatis arripiunt gestientes magno gaudio, quod aliquid nacti 50
essent, quo Romanae sedis imperitiam et negligentiam coarguere
et reprehendere possint; quo fit, ut, dum famam sanctitatis assequi
cupiunt, pleraque, quae apud nos levia videntur, apud eos intole-
rabilia sint, et quae nos gravia iudicamus, ea ipsi ne leviter quidem
punienda censeant. Nam ecclesias destruere, delere imagines sanc- 51
torum, die nocteque in cauponis versari quotidianum apud eos
est: at calceo rostrato uti, redimiri sertis et pleraque id genus
nefaria putantur.

Karolo regnante nobilissimum Germaniae emporium Praga 52
fuit, et nomen eius in omni Europa celebrabatur. Florebat libera-
lium artium schola in ea, coenobia virginum monachorumque eri- 53
gebantur, omnium ordinum atque religionum fratres sua loca ha-
bebant. Quam civi, tam peregrino ius suum reddebatur. Karolo 54
autem mortuo, cum Venceslaus filius regno praeesset, non solum
Pragensis, sed totius provinciae status mutatus et conturbatus est.
Pullulaverunt innumerae superstitiones, quarum maxima vestigia
adhuc exstant. Zyžka, cuius supra mentionem fecimus, passim prae- 55
das agitabat: Thaboritarum, Orphanorum Orebitarumque exercitus
omnia ferro atque igne vastabant: sacerdotes magni Dei partim
agebantur in exilium, partim exquisitis suppliciis necabantur; diri-
piebantur praedia ecclesiastica, et ab unoquoque, tamquam in nul-
lius bonis essent, occupabantur. Regiae quoque possessiones et 56
vectigalia eodem furore ad privatas manus devenerunt. Multa ad-
versus haec mala Sigismundus Albertusque reges nostri tentaverunt,
sed eorum omnes conatus irriti fuerunt; neque Ladislaus Alberti 57
filius orthodoxae fidei defuturus credebatur, nisi in ipso aetatis
flore veneno, ut perhibent, extinctus esset. Regnum deinde ad
Georgium, unum ex proceribus nostris, pervenit, hominem militiae
domique clarum, sed Romanis sacris non admodum amicum. Hunc

Paulus pontifex maximus regia dignitate privavit et in contumeliam eius Mathiam Pannonium a nonnullis procerum nostrorum in regem Bohemiae eligi procuravit, Friderico Caesare ad id connivente. Quamquam autem magna regni pars a Georgio defecisset, non tamen fractus animo est, sed longo tempore cum Mathia vario eventu bellum gessit. Verum Georgio mortuo, cum Mathias sibi Bohemiam iam apertam putaret, invito et reluctantem eo, Wladislaus Casimiri Poloni filius, sub cuius tutela in praesentia requiescimus, in regem assumitur; qui cum diu cum Mathia de possessione provinciae decertasset, tandem pax inter eos ea lege composita est, ut titulo regni Bohemiae uterque eorum uteretur, sed Bohemia apud Wladislaum maneret, provinciae autem ceterae regibus Bohemiae parere consuetae, ut Mathiae essent. Quo extincto, si memoratas provincias nobis restitui voluerimus, ut quadringenta milia numerum auri Pannoniis et eorum reipublicae persolvamus. Haec etsi ab instituto nostro omnino aliena sunt, libuit tamen breviter commemorare, ut intelligant, si qui fortassis haec aliquando legerint, ex quanto gloriae et dignitatis gradu delapsi sumus, dum plus sapere volumus, quam necesse sit, et privatas nostras utilitates publicis commodis anteponimus. Sed iam finem faciamus, neque enim propositi nostri est historiam rerum nostrarum scribere: quamquam non putamus id nobis interdictum esse, si quando ad otium redire et ab hoc curiali strepitu conquiescere licuerit: praesertim cum non desint quidam, qui fabulis res gestas maiorum nostrorum, amore quidem patriae ad hoc impuls, sed tamen ab officio scriptoris penitus alieni, repleverunt. Multi praeterea, non dico eloquentiae, sed etiam latinitatis ignari, hanc rem aggressi, in ipso conatu succubuerunt et imperitiam suam, quam occultasse melius foret, posteritati notam fecerunt. Aeneas autem Silvius, qui primus externorum aliqua de nobis diligentius prodidit, quamquam eloquentia minime contemnendus fuit, et qui orationi cultum facile addere posset: multa tamen illustria, dum brevitati voluminis consulit, praetermisit. Multa etiam nimium (ne dicam aliud) temere credidit, ut nos tempore suo ostendemus. Magna tamen homini gratia habenda a nobis est, quoniam res nostras apud externas gentes maxime illustravit.

16.

*Ad Victorinum de Wssehrd.*31. Dec. 1489., [Praga.] — *Responsum App. 7.*

Bohuslaus de Lobkowicz et Hassysteyn Victorino suo de Wssehrd s. d. Cecinimus nuper nescio quid de moribus patriae Satyros imitati, etsi praeter consuetudinem Satyrae in initio precatōne ad Divum Venceslaum usi sumus. Quos versiculos tibi dicare constitui, qui et nostri amicissimus es et bonarum artium percipidus. Caeterum cave, ne in publicum exeant: non sunt enim huiusmodi, ut in arce, tanquam Minerva Phidiae, poni possint.

Continent etiam pleraque, quae sibi ipsi male conscii fortassis in se dicta putarent. Quanquam enim ego neminem nomino atque ideo, ut ille ait, irasci mihi nemo possit, nisi quis ante de se velit confiteri: vereor tamen tacitas eorum suspiciones, quos offendere hoc tempore periculosum est. Neque praeterea iudicium vulgi hac in re magni facio, quoniam et laude populari extolli et vituperio frangi aequae leve est. Sed te solo contentus sum, a quo probari et improbari iucundissimum mihi erit. Utrum enim horum feceris, id te optimo atque amantissimo erga me animo facturum certe scio. Vale. Datum ex aedibus nostris pridie Calendas Ianuarii anno 1490.

17.

Ad Petrum Schottum.

16. Maii 1490., Venetiis.

Bohuslaus de Lobkowicz, domino Petro Schotto, iuris utriusque doctori, amico singulari, salutem d. p. Gratae mihi fuerunt litterae tuae, sed graciosius castissimum ipsum sacrificium, quod pro me iam forsitan offers. Spero enim id pro fidei tuae puritate et orationis in te sanctimonia summae illi maiestati acceptissimum esse. Neque dubitarem gratias agere, nisi id iampridem ex nostra consuetudine recessisset. Quod de Nazareth et Galilaea scribis, erunt mihi curae, si modo commode fieri poterit: neque enim me temere in pericula coniicere velim. Statueram quidem Syria, Arabia Aegyptoque lustratis Indos petere, sed deterruerunt me a proposito nonnulli negociatores, qui iter illud nostratibus minime perivium aiunt. Quamobrem dabo operam, ut ea, quae oculis videre non potero, saltem diligenti inquisitione magna ex parte cognoscam. Est autem mihi animus in reditu versus Septentrionem Domino propicio declinare et littora maris Aegaei insulasque tot carminibus celebratas visere: denique ipsam Bysancion, olim Christiani, nunc Mahomethei imperii sedem, adire. Cave tamen haec cuiquam dixeris, ne, si quando forsitan consilium mutarem, ridiculus videar. Durum ais tibi videri, quod sine te hoc iter aggressus sim. Caeterum, ita me Deus incolumem ad patriam reducat, ut inter res humanas nihil hoc tempore magis optarem, quam te mihi comitem in hac tam salutari via dari; voluique ex patria ad te ea de re scribere, in his scilicet litteris, quas postremo, ut arbitror, a me suscepisti, sed scio, quae sit tuorum erga te pietas, et quam difficulter praesentia tui careant, atque ob id ne mentionem quidem huius rei facere ausus sum: verebar enim, ne eos offendam, quos minime omnium offendere vellem. Utcumque autem se haec habent, ego tuus,

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus, ero. Vale, mi anime, et crede mihi me haec postrema ad te non sine . . . scripsisse. Totam domum tuam salvere iube, et praecipue venerabilem patrem meum Keysersberg. Ex Veneciis. Anno a nativitate Salvatoris M.CCCC.LXXXX. Die XVI. Maii.

18.

*Ad Ioannem de Sselnberck.**5. Nov. 1490., Alexandria Aegypti.*

D. Ioanni de Sselnberck, regni Bohemiae cancellario, s. p. d. ¹
 Haec ad te ex Alexandria scribo: non contentus enim Iudaea et Hierosolymis Aegyptum quoque et famosissimam urbem, quam aetas nostra Cairum appellat (veteres Memphim vocabant), adii. Multa ²
 hic tractus memoratu digna habet: sed quis omnia epistola complecti possit? Coram ista aliquando Domino propitio narrabimus. Alexandria olim admodum clara erat et regum Aegypti sedes. Hoc ³
 etiam tempore totius continentis, qui mari nostro alluitur, nobilissimum emporium est. Indicae, Arabicae, Aethiopicae merces eo confluent: inde demum occidenti et regionibus nostris inferuntur. Patrum nostrorum memoria Petrus, Cypri rex, Alexandriam cepit: sed innumerabilibus Aegyptiorum copiis adventantibus, cum expectare hostes non auderet, diruta urbe et ingenti ablata praeda retro in Cyprum concessit. Reperi hic onerariam Genuensium navem: ⁴
 hanc conscendere et Cycladas insulas, fauces Hellesponti, ruinas Troiae, Constantinopolim et loca denique tot literis celebrata visere paro. Haec enim me, qui ab infantia in huiusmodi rerum inquisitione versalus sum, plurimum delectant, caeteris forsitan ridicula videntur: sed ego non video, cur me pudeat eos sequi, qui maluerunt discere situs terrarum, mores et consuetudines hominum perspicere, cognoscere ritus et instituta gentium quam in patria per ocium et voluptatem marcere. Haec si tibi probantur, non est, ⁶
 cur aliorum in ea re iudicium pertimescam: sin me falli errareque censes, is sum, quem verbo de sententia dimovere poteris. Vale, patrone dignitatis meae, valeat et Puta meus tecum. Ex Alexandria Aegypti 1490. Novemb. 5.

Qui has literas ad te feret, Cracoviensis est apud suos clarus, ⁷
 et in meo comitatu toto hoc itinere fuit. Quamobrem commendo tibi hominem, gratumque mihi admodum feceris, si intellexerit commendationem meam sibi apud te adiumento fuisse.

19.

*Ad Stephanum Pisonem.**16. Apr. 1491., in navi iuxta Methonem.*

Stephano Pisoni s. p. d. Postremas ad te literas ex Alexandria Aegypti dedi: inde Genuensium navigio Chium profectus sum. In hoc itinere: dum Carpathos insula iam in conspectu esset: vi tempestatis ad Cyprum usque millia passuum pene quadringenta reiecti sumus. Cepi tamen non parvum huius adversitatis fructum, quod Ciliciae, Pamphylicae Lyciaeque oram legi et pleraque didici, quae ignorabam. Nam et Pathmon praetervectus sum, divi Ioannis revelatione insignem, et Coum Samumque, alteram Pythagora, alteram Hippocrate claras. Chios ipsa ultra id, quod sibi Homeri et

ortum et sepulchrum vendicat, masticem quoque laudatissimam gignit. Hinc in continentem Asiae minoris, quam hoc tempore Tur-³chiam vocant, traieci, et Smyrnaeum sinum et Smyrnam ipsam et Thyatiram et Ephesum et Erythras, Sibylla cive nobiles, pervagatus sum. E regione Smyrnaei sinus Lesbos est, Theophrasti Sapphus-⁴que patria. Vectus demum per Cycladas Sporadasque: hoc est Delon, Paron, Icarum, Andrum, Tenum, Gyaram Seriphonque et innumera id genus, quae commemorare non tam mihi grave quam tibi fastidiosum esset, Methonem oppidum Peloponnesi delatus sum: Libyen Domino propitio, cum primum fieri poterit, traiecturus. Ferunt esse illic Tuneta, parvum olim oppidum et a Livio⁵ Polybioque vix nominatum: nunc autem omnium Africae urbium, quae in nostrum mare vergunt, clarissimum, neque procul inde ruinas Carthaginis extare, quarum visendarum studio eo potissimum proficiscor. Redire dehinc Methonem animus est et Peloponnesum,⁶ Atticam Boeotiamque peragraré et eloquentiam, quam studio ingenioque consequi non potui, apud Parnassum Heliconaque petere, inde adire Constantinopolim et Bithynia, Hellesponto Troadeque lustrata Venetias reverti. Quem me nunc fructum studiorum meorum⁷ capere putas? quo affectu versus canere? qua iucunditate priscarum historiarum recordari? Nullae profecto divitiae, nulli honores,⁸ nullae domesticae deliciae tantae sunt, ut cum hac voluptate, quam ex tot gentium atque nationum peragratione quotidie capio, conferri possint. Sed haec tu forsitan admittis: caeteri autem suo stomacho accipiunt. Vale. Bibliothecam meam tibi commendo. Vide,⁹ ut ab omni iniuria et praesertim tinearum tuta sit. Hoc mihi in praesentia nihil acceptius facere poteris. Cristannum Pedick, Ioan-nem apud tabulas curiae et Victorinum de Wssehrd salvare iube. Methone: imò in navi oneraria iuxta Methonem. M.CCCC.XCI. die XVI. Aprilis.

20.

Ad Stephanum Pisonem.

11. Aug. 1491., Venetiis.

Stephano Pisoni s. p. d. Binas tuas ad me literas Venetiis¹ offendi, quarum alterae die divo Georgio solenni datae fuerunt, alteris non erat dies adscripta. In utrisque id molestum fuit, quoniam ex senis nostris unas duntaxat ad te pervenisse ex his intellexi. Caetera me varie varieque affecerunt. Delectabat me pontifi-²calis honor et, quae alii tanta ambitione appetunt, mihi sponte obvenire gaudebam. Sed sarcina, quae tantum honorem comitatur, magnopere terrebat. Conscius enim imbecillitatis meae hanc pro-³vinciam non reformidare non possum, praesertim cum minime ut futurus episcopus adolescentiam transegerim. Huc accedit, quod⁴ plebs haec non solum humanis istis vulgaribusque vitiis corrupta, sed etiam innumeris infecta haeresibus est, ut, etiamsi omnes homines sua consilia in unum conferrent, vix quicquam auxilii af-⁵ferre possent. Quodsi Plato a Cyrenaeis vocatus, ut civitati eorum

leges scriberet, iuste proficisci ad eos recusavit: quoniam tot malis moribus consuetudinibusque depravatos vix unquam sub legibus victuros arbitraretur: quanto ego iustius hoc onus potius quam honorem renuerem? cum neque ipse Platoni conferri possim et N. Cyrenaeis longe corruptior depraviorque sit. Caeterum solatur⁶ me divina benignitas, quae et sapientiam sapientium perdit et humilibus parvulisque dat gratiam. Incircumcisis labiis erat Moses: et tamen populum illum tam durae cervicis ex Aegypto duxit. Paulus ex persecutore apostolus factus est. Quantus in ecclesia⁷ Dei Augustinus? hunc tamen cupiditates libidinesque adeo vinctum detinuerunt, ut sine iis vitam humanam omnino nullam esse putaret. Forsitan et nostri aliquando miserebitur Dominus et quotidie⁸ magis ac magis in praeceptis ruentes virtutis et clementiae suae dextera continebit. Haec tibi nimium religiosa videntur: aut, ut tu appellas, melancholica, sed tamen vera. Verum haec propediem⁹ Domino propitio coram agemus. Vale. Ex Venetiis XI. Augusti. Anno M.CCCC.XCI.

21.

Ad Iohannem Keisersbergium.

[1491. exeunte.]

Domino doctori Iohanni Keisersbergio. Bohuslaus tuus, pater¹ optime, haec dicit: Posteaquam Asia Africaque peragrata Venecias redii, scriptis iam obsignatisque ad Petrum meum litteris mors sua mihi nunciatur. Quo nuncio non perturbatus, sed fractus omnino² sum: non quod illius vicem magnopere doleam, quippe cum quo praeclare arbitror actum, quod ab his saeculi miseriis ad coelestia gaudia felix illa anima translata est: sed quod ipse eiusmodi amico orbatus sum, qualem neque hactenus habui neque unquam, ut existimo, habiturus sum. Nunc autem, ubi nuncium de ea regione³ vidi, rursum dolor meus renovatus est: et nescio, iucundiusne mihi an acerbius fuerit veteris nostrae familiaritatis meminisse. Parabam, nescio quid, ad parentes suos scribere: sed vereor, ne litteris meis eorum moeror recrudescat. Tu facito, ut me ames: et quod olim⁴ a dulcissimo meo Petro persuasus faciebas, nunc sponte tua facias. De statu condicioneque mea in praesentia nihil scribo, quoniam tempus non suppetit. Malui tamen inepte aliquid scribere quam tacere. Si autem me litteris tuis dignaberis, non solum me laetum⁵ facies, sed etiam materiam et occasionem ad tibi rescribendum dabis. Vale.

22.

Ad Victorinum de Wssehrd.

[1941. exeunte.] — *Responsum App. 8.*

M. Victorino de Wssehrd s. d. Quidam, cuius nomen mihi¹ penitus excidit, Venetiis mihi literas ad te dedit: has iccirco tibi mittere distuli, quoniam me propediem apud te futurum sperabam. Quando autem profectio mea Pragam versus protenditur, eadem²

iteras per hunc Maurum nostrum potius quam Aethiopem tibi reddi curavi: et si quid praeterea est, quod tibi usui honorique esse possit, putato me eum erga te esse, qui debeo. Vale.

23.

Ad Ioannem Sselnbergium.

[Maio 1492.]

D. Ioanni Sselnbergio s. d. Literae tuae testudineo gradu sunt¹ usae: nam cum Nonis Aprilibus sint datae, vix demum 2. Maii redditae sunt. Cognovi ex his rem Olomucensem, statum, et tuum studium atque industriam mihi neque deesse unquam neque defore: quod quanquam mihi perspicuum semper fuit, non potest tamen non gratum acceptumque esse. Noli autem expectare, ut tibi gra-² tias agam: obruitur enim ingenium meum tuorum meritorum magnitudine, et in ipso conatu, nescio quomodo, succumbit. Malo etiam hoc tecum coram agere et re, si fieri poterit, ostendere, te nihil operae impensaeque in me ornando perdidisse. Ut enim tuum est³ ea, quae incepisti, perficere, ita meum, postquam tua cura laboreque ad pontificatum evectus fuero, dare operam, ut tibi contingat, quod praeclaris artificibus solet, hoc est, ut te operis tui minime poemiteat. Ego autem interim more meo conquiescam, et abs te in dies certius quiddam exploratiusque expectabo. Vale.

24.

Ad Iohannem Keisersberg.

11. Sept. 1492.

Bohuslaus de Lobkowic et Hassenstein dignissimo suo patri¹ domino Iohanni Keisersberg salutem p. d. Acerbum nuncium ad te affero, optime pater. Fridericus meus Busner, qui in familia mea iam pluribus annis fuit, quique mecum per terras atque maria peregrinatus est, ipso die Nativitatis Divae Virginis extinctus est. Id² etsi mihi molestissimum est, longe tamen propterea fit molestius, quod matri suae, integerrimae foeminae: quae se filium apud me in bono loco collocasse putabat: depositum pessima fide restitui. Sed quis divinae voluntati adversari potest? cuius iudicia abyssus multa. Afflictabatur primum lenta febris: tum, ubi morbus invale-³ scere coepit, id, quod Christianum decebat, fecit: inde adeo convaluit, ut iam omnino extra periculum positus videretur. Nec multo⁴ post in graviores aegritudinem reincidit, qua cum vehementissime eum agitari cernerem, sacerdotem accersiri iussi: a quo postquam sacro oleo inunctus est, adeo placide et tranquille decessit, ut non mori, sed somnum capere videretur. Interfui morienti (quod quidem⁵ mihi nunquam ante id tempus contigit) flens gemensque, quia me optimo fidissimoque comite privari aspiciebam. Nondum dolor meus,⁶ quem ex interitu sanctissimi illius viri Petri Schotti ceperam, finitus erat, cuius dulcissima amicitia adeo haeret haerebitque menti

meae, ut inter animi perturbaciones et anxietates eius meminisse peculiare mihi solacium sit. Ecce autem alia calamitas secuta est, ut tot tandem casibus edoctus res humanas nihil esse discam. Illi quidem ambo (ut par est credere) in coetu beatorum dignam pietatis et virtutis suae mercedem capiunt: ego tamen toto pectore non angī, non dolereque non possum, quin eciam, dum haec scribo, invito reluctantique mihi lachrymae per ora defluunt et reliqua. Data die Martis post festum Nativitatis beatæ Virginis. Anno M.CCCC.LXXXII.

25.

Ad Victorinum de Wssehrd.

30. Oct. 1492., Bulsavia.

M. Victorino Chrudimensi de Wssehrd s. d. Hodie mihi abs te literae redditae sunt, quas avide legi intellexique, et studium tuum in me atque benevolentiam rursus mirifice et probo et amplector. Quae autem ex me cognoscere cupis, paucis accipe. Ego, Victorine, cum primum huius rei mentio fieret, in extremis terrarum oris constitutus eram, reversusque deinde in patriam ita me gessi, ut fastigium hoc pontificale neque appeterem neque plane reformidarem, sed utranque fortunam ferre paratus essem, eventum rei scilicet facile expectans. Id etsi mihi omnes mei poene vitio dant, me tamen huius instituti mei minime poenituit: qui non per fenestram, sed per ostium ovile Dominicum ingredi cupio. Neque est, quod me ad eos remittas, qui dignitates huiusmodi per fas et nefas ambiunt: non enim tanti (quicunque tandem illi sunt) a me fiunt, ut eos pro speculo atque exemplari actionum mearum habeam: sed malo bonus quam dives, integer quam honoratus esse. Haec qualia sunt, facile perspicere potes, qui naturae meae non omnino (ut arbitror) ignarus es. Caeterum quemcunque exitum negotium Olomucense habuerit, ego tamen tum aliis Moraviae proceribus, tum domino Stiborio me plurimum debere confiteor, qui me nullo sibi officio aut familiaritate coniunctum prae omnibus aliis delegerit, quem ad tantum culmen, quantum in eo est, provehat: habeoque non parvam homini in praesentia gratiam, neque referre gravabor, si quando ita tempora tulerint, ut ei utilitati aut honori esse possim. Scripsissem plura, sed nuncius tuus adeo properat, ut mihi vix dimidium horae ad rescribendum concesserit. Vale. Ex Bulsavia 1492. die Martis post ferias Simonis et Iudae.

26.

Ad Bernhardum Adelmannum.

[1492. exeunte.]

Bernhardo Adelmanno s. d. Suspicio te, Bernharde, iam ex Anglia reversum esse, idque ex literis Gabrielis tui, quas ad me nuper dedit, quibus sperabat te in patria ad solennia Divi Martini futurum. Itaque morae impatiens non potui mihi temperare, quin

ex tot immanibus efferisque gentibus reducem (quoniam complexu non possum) literis saltem excipiam. Optarim enim maiorem in modum hoc tempore in contubernio tuo versari et Orchadas insulas ultimamque Thulen et penitus toto divisos orbe Britannos innumeraque alia id genus ex te cognoscere. Quando autem id fieri in praesentia minime potest, te precor, ut ad me quippiam eiusmodi perscribas: unde intelligam non frustra magnam Septentrionis portionem abs te peragratam esse. Nihil enim est, quod nosse magis cupiam quam arborum illarum naturam, quas in ea Britanniae parte, quam Scottiam vocant, gigni perhibent. Aiunt enim fructus earum partim maturescere in arboribus mandique, partim in rimam subter decidere vertique in anates. Id etsi mirum est: consideranti tamen mihi vim potestatemque naturae poene nihil incredibile videri solet: maxime cum non desint, qui se fructus tales et spectasse et comedisse asseverant. Neque tamen alia te praetermittere velim, si qua memoratu digna putaveris, et talia, quae animo meo diverticulum aliquod parere possint. Scio te quoque aliqua a me expectare: sed nihil habeo, quo cupiditatem tuam explere possim. Res enim meae regia via incedunt, hoc est, neque in dextram neque in sinistram declinant. Id quale sit, etiamsi Apollinem nusquam consuleres, cognoscere posses: si quid autem in ea re novi acciderit, primus omnium exteriorum certior fies. Caetera cognosces ex schaedula epistolae inclusa. Vale.

27.

Ad Victorinum de Wssehrd.

[1492.]

M. Victorino Chrudimensi de Wssehrd s. d. D. Stiborius, quem nescio praesidemne an praetorem appellare conveniat (capitaneus enim omnino barbarum est), perhumanas nuperrime atque perbenignas ad me literas dedit. Id ego totum abs te manasse scio potius quam suspicor. Itaque egi homini verbis, quibus potui, gratias: addidi tamen non oportere Victorino Wssehrdio, de Bohuslao referenti, semper credi, cuius benevolentia atque amore excoecatus ea plerunque in vulgus spargit, quae Bohuslaus minime praestare potest. Has literas ad te mitto, et rogo, ut quamprimum quempiam nactus fueris, qui Moraviam versus proficiscatur, eas ad D. Stiborium perferri cures.

28.

Ad Ioannem Pibreum.

[1492.]

Ioanni Pibreo s. p. d. Misisti ad me epistolam, quam Victorinus meus ad D. Stiborium Towacoweum scripsit. Hanc ego legi: ita tamen, ut mei ipsius minime obliviscerer. Quanquam enim Victorinum omnia haec optimo amantissimoque erga me animo scripsisse certo scio: meum tamen non est aut laudibus elevari

aut contumeliis frangi aut cuiquam denique magis quam mihi ipsi de me credere: quin etiam vereor, ne maiorem, quam velim, de me expectationem concitaverit, cui si ego minus satisfecero, ridiculus appaream necesse est. Quamobrem bene Victorinus meus³ faciet, si ut in omni reliqua vita ita in meis quoque laudibus deinceps modestus erit. Vale.

29.

Ad capitulum Olomucense.

28. Maii 1493.

Capitulo Olomucensi s. d. Retulerunt mihi patres capituli¹ vestri, quos ad me misistis, multa de affectu vestro in me atque benevolentia, et quomodo cunctis suffragiis a vobis episcopus renunciatus sum. Ago vobis immortales gratias: neque enim possum non delectari tantorum virorum gravissimo de me iudicio. Utinam² duntaxat expectationi vestrae satisfacere possem et is esse, qui cupio. Nam duram sustinebo provinciam et viribus meis omnino imparem. Fiam enim magister ante quam discipulus, et qui me³ regere nondum didici, alios regere cogar: fretus tamen Dei ope, qui nunquam in se sperantes deserit, submittam tantae sarcinae humeros, et vastum pelagus naviculaeque meae prorsus inexpertum ingrediar. Vestrum autem erit hoc tempore, quae incoepistis, persequi: deinde vero me recte agentem consiliis vestris atque auxilio iuvare. Valete. Caetera cognoscetis ex his, quos ad me misistis. 1493. Maii. 28.

30.

Ad Wladislaum, Pannoniae et Bohemiae regem.

[1493.]

Amplissimo suo Principi et Domino D. Wladislao, Pannoniae¹ et Bohemiae Regi etc. s. d. Petiverunt a me patres capituli Olomucensis, ut causam eorum Maiestati Tuae commendem. Quanquam² autem institui, ubi primum ex Asiatica peregrinatione reversus sum, neque accedere ad Maiestatem Tuam neque quicquam literarum dare nisi plane aut episcopus aut privatus: non potui tamen postulatis eorum adversari in re praesertim aequa, et quae ad me quoque Maiestate Tua non solum id volente, sed etiam procurante pertinet. Alius quidem uteretur multis verbis et commemoraret in³ primis regium esse iura immunitatesque ecclesiasticas tueri ac defendere: ego tamen nihil mihi horum faciendum puto: quippe qui scio Maiestatem Tuam tanta fide, religione pietateque esse, quanta forsitan nemo alius ex omni catholicorum principum numero. Illud⁴ tantum supplex petivisse contentus sum, ut Maiestas Tua is sis, qui consuevit, neque patiatur quicquam agi, quod ecclesiae Olomucensi aliquando aut negotium facessere aut periculum afferre posset. Quod vero ad gratias Maiestati Tuae pro tantis tamque immortalibus beneficiis agendas attinet, differo in aliud tempus:

neque enim res paucis confici potest, et tam vastum pelagus in praesentia aggredi non audeo.

31.

Ad Ioannem de Sselnberck.

[1493.]

D. Ioanni de Sselnberck, cancellario regni Bohemiae, s. d. ¹
Retulerunt mihi canonici ecclesiae Olomucensis se a regia Maiestate (nescio cuius rei gratia) vocatos esse. Hos ego tibi (quoniam iam omnia mihi de te polliceri audeo) mirum in modum commendo. Nisi enim postulatis eorum consultum fuerit, vereor, ne ²
res ecclesiastica non melius apud Moravos quam Bohemos se habeat. Haec qualia sint, ex eis cognosces, curabisque pro tua in me benevolentia, ut non frustra haec ad te scripsisse videar. Vale.

32.

Ad Ioannem de Sselnberck.

[1493.]

D. Ioanni de Sselnberck, cancellario regni Bohemiae, s. d. ¹
Redditae mihi sunt literae regiae, quibus praecellentia sua omnem operam in re Olomucensi mihi pollicetur. Gavisus sum mirum in ²
modum: multis enim iam indiciis cognovi optimum eius in me animum, nam et absentem in extremisque terrarum oris constitutum non dubitavit his, qui coram in praesentiaque erant, praeferre, et quotidie novo benignitatis genere prosequitur, neque quicquam praetermittit, quo res coepta quam primum confici possit. Unde ³
accidit, ut qui mihi iampridem omnia praecellentiae suae debere videbar, nunc in dies magis ac magis me obligatum atque obnoxium sentiam. Quanquam autem regia beneficia ut maiestate praecellunt, ⁴
ita relationem gratiae minime desiderant: animus tamen meus conquiescere non poterit, nisi aliquando ostendero me et gratum esse et non tam pontificatu delectari, quam quod a prudentissimo circumspectissimoque principe tanto honore dignus existimatus sum. Ut enim gratias agam hoc tempore, ne attentare quidem audeo: ⁵
quoniam vires mei ingenii sub tanta sarcina penitus deficiunt. Forsitan etiam ista melius coram agi poterunt, si quando celsitudinem regiam aut privatus aut episcopus accessero. Interim vero ⁶
tu totam hanc provinciam sustineas oportet: tu, inquam, negotiorum meorum gestor sis. Iam enim mihi tantum, ab humanitate tua provocatus, vendico, ut quae antea petere consuevi, nunc iure meo quodammodo exigam. Questi sunt etiam apud me patres ⁷
Olomucenses regiam praecellentiam remissius haec curare, quam res exposcat, atque ob id negotium de die in diem differri, quod tamen, si paululum anniteretur, propediem finem habiturum esset. Id vix mihi persuaderi potest: si quid tamen huiusmodi sit, te ⁸
precor, ut non solum auctoritatem, sed etiam studium tuum industriamque interponas. Nam qui prius ab ambitione vehementer abhorui, nunc illorum precibus impulsus, apud te ambire cogor.

Commendo tibi praeterea plurimum memoratos patres : acturi sunt ⁹ enim causam ecclesiae suae in iudicio publico : sive autem hae res procedent, sive forsitan aliud quippiam praeter sententiam eveniet, non erit tamen alienum a dignitate tua iura immunitatesque ecclesiasticas tua opera in suo robore permanere. Vale.

33.

Ad praepositum ecclesiae Pragensis.

[1493.]

D. praeposito ecclesiae Pragensis s. p. d. Has meas literas ¹ duo patres capituli Olomucensis ad te ferunt, quibus nonnihil negotii in iudicio publico est : hos ego ita tibi commendo, ut magis non possim : Quae enim intendunt, iusta et aequa sunt, et quae tibi quam minime absurda visum iri certo scio. Non possum quidem ² ullum meum in te meritum commemorare, ut tantum tibi oneris iure imponere possim : velim tamen credas me et gratum et memorem beneficiorum tuorum fore, neque dubitaturum referre gratiam, si quando tempora tulerint, ut tibi gloriae utilitatisque esse queam. Forsitan etiam tui et totius Pragensis ecclesiae interest, ut ³ id, quod cupiunt, assequantur : laudi certe honorique non parum conducet, si opera tua effectum fuerit, ut libertates et iura ecclesiastica, quantum saltem in hac provincia fieri potest, minime infringantur. Haec autem omnia, si me amas, iccirco diligentius curabis, quoniam res Olomucenses hoc tempore ad me quoque aliquantum pertinent. Vale.

34.

Ad Victorinum de Wssehrd.

[1493.]

Victorino de Wssehrd s. d. Canonici duo Olomucensis ecclesiae acturi sunt nonnulla negotia in iudicio publico : his consilio tuo atque industria plurimum opus erit. Quamobrem homines tibi magnopere commendo : immo forsitan me ipsum. Nam quae agunt, ² mihi quoque aliquantum, si Dominus voluerit, usui futura sunt. Quodsi alios, quos tibi commendo, summa humanitate excipis, id tanto studiosius in praesentia facies, quanto nostra alienis gratiora esse solent. Haec ut tibi curae sint, etiam atque etiam precor. Vale, ³ et si tibi per occupationes licet, tandem aliquid rescribe : ne quis forsitan, morum tuorum ignarus, silentium tam longum animi a me tui alienati indicium existimet. Vale.

35.

Ad Ioannem Pibraeum.

1493.

Bohuslaus suo Ioanni Pibraeo. Mitto tibi epistolam versibus ¹ confectam a me, quam ad te mitti cupis, si saltem verum est, ut tuto in publicum prodire possit : nolui tamen desiderio tuo ad-

versari, qui tanti a me fis, quanti pauci alii. Quodsi aliqua ob-²scuriora in ea videbuntur, ad Victorini Wssehrdii opem confugies: tametsi pleraque inserui, quae a peritissimis vetustatis, nisi iidem quoque recentiores historias et inprimis annales nostros crebro evolverint, vix intelligi possunt. Vale, et si quid in me est, quod³ tibi ornamento esse queat, cave opera nostra uti dubites. Anno 1493.

36.

Ad Ioannem de Domaslawie.

10. Oct. 1493., Bultavia.

Bouslaus de Lobkowicz et Hassenstein Ioanni suo de Doma-¹slawie apud tabulas publicas s. p. d. Fama constans apud nos est primores Pragensium et universum populum ad gremium ecclesiae, quo multis iam annis nullis blanditiis, nullis terroribus perducere potuerunt, sponte venire ivisseque legatos Romam, qui omnia, de quibus inter sedem apostolicam et eos ambigitur, potestati arbitrioque pontificis maximi permitterent. Gaudeo maiorem in modum et² magnitudinem gaudii mei vix animo capio. Nam quis tam extreme in patriam impius est, ut conversione huius nobilissimae civitatis, quae non solum Boëmia caput est, sed Germaniae etiam decus atque ornamentum, toto pectore non delectetur? Neque enim dubium est ceteros quoque minoris nominis populos exemplo Pragae ad sanitatem redituros. Videor mihi profecto iam quasi per nubem quan-³dam intueri felicia illa tempora et vere aurea, quae sub Carolo Caesare vigeant, quando haec florentissima urbs ab omnibus vicinis gentibus frequentabatur, quo neque gymnasium litterarum clarius neque emporium in toto septemtrionis tractu illustrius ea tempestate erat. Quanquam enim a tanto fastigio nominisque celebritate⁴ in praesentia longe declinavit, non est tamen desperandum, quod Carolus praestitit, id huius quoque nostri prudentissimi circumspectissimique principis sapientia atque virtute praestari effi-⁵cique posse, si tantum Pragenses ad se reversi non solum rempublicam, sed etiam illa, quae ad religionem caerimoniasque pertinent, ex eius consilio atque auctoritate sibi administranda putaverint, ut hoc tempore non obscure prae se ferunt. Ardeo quidem⁵ incredibili desiderio, ut opus tam salutare, quod tanto omnium consensu coeptum est, finem laetum atque optimo cuivis studiosoque reipublicae inprimis expetendum propediem accipiat. Sed dum⁶ naturam imperitiae multitudinis, quae huc et illuc levi momento quasi vento quodam impellitur, mecum considero non possum non vereri, ne antiquus hostis suis usus artibus omnes hos conatus⁷ pervertat in nihilumque redigat. Neque enim in tanto numero derunt, qui, dum sua virtute crescere non possunt, per aliorum ruinam ad divitias honoresque pervenire cupiant. Hi plebis animos varie versabunt, hos vanis suspicionibus implebunt, illos rerum novandarum spe. Si enim omnia pacata tranquillaque essent, cogno-

scunt non futurum moribus suis locum: atque ideo tumultus seditionesque excitabunt, ut potentiam, quam in bene morata beneque instituta civitate consequi non possunt, in perturbata consequantur. Non est necesse ad hoc confirmandum peregrinis exemplis uti et aliquid ex Graecis, Latinis barbarisque historiis repetere,⁹ quoniam Praga satis nobis documenti est, quae ab hoc genere hominum saepe perniciosissimis motibus vexata et agitata est, et nisi nunc quoque huic malo omni studio atque diligentia obviam itum fuerit, nihil aliud ominari volo, exitum certe rei bonum optare magis quam sperare possum. Ceterum principes huius pulcherrimi¹⁰ facti quanquam, qui sint, ignoro, non parum tamen mihi de se pollicentur. Quae enim aggressi sunt, nihil inertiae, nihil desidiae, nihil ignaviae sapiunt, sed curas, labores, constantiam, gravitatem, magnitudinem animi et summum religionis zelum. Vigilabunt hi¹¹ adversus impendentem procellam et omnes suas curas cogitationesque ad hoc sanctissimum facinus perficiendum convertent. Neque eis divinum auxilium deerit, pro cuius laude et gloria se et periculis et invidiae improborum obiciunt. O quanta eorum apud im-¹² mortalem Dominum merces erit? quanta apud omnes homines bene integreque sentientes? Si enim unum ab errore revocasse magnum est, quid tantum populum? Si gloriosum est a patriae cer-¹³ vicibus iugum tyranni depulisse, quanto gloriosius extinxisse materiam seminaque discordiarum et corruptos depravatosque mores correxisse. Non conscribentur haec limitibus Boëmiae, sed vaga-¹⁴ buntur per terras mariaque, et omnium gentium nationumque linguis litterisque celebrabuntur: ipsi etiam posterī hanc virtutem et laudabunt et admirabuntur, neque ulla aetas eorum memoriam delebit. De Praga ipsa quid dicam? Quae, nisi me animus fallit,¹⁵ mirum brevi incrementum capiet. Hanc spem amoenitas loci, in quo sita est, temperies aëris et omnium rerum ad usum humanum pertinentium copia mihi praebet. Implebitur innumeris negotiatori-¹⁶ bus, frequentabitur a iuventute litterarum cupida; sive quis militiae sive domi excellere volet, Pragam ut talium artium magistram petet. Finitimis principibus atque populis, qui nunc summam in dis-¹⁷ cordia nostra spem ponunt, rursus terrori venerationique erimus. Cessabunt odia et rancores: neque alter alterum quasi schismati-¹⁸ cum haereticumque contemnet, sed eiusdem matris filii atque in eadem domo, hoc est in ecclesia educati sub eisdem quoque legibus institutisque vivemus. Vale. Ex Bulsavia. Decima Octobris. Anno Salutis MCCCCLXXXIII°.

37.

Ad capitulum Olomucense.

[1493—94.]

Venerabilibus viris d. decano et toti capitulo Olomucensi^{s.} 1
p. d. Accepi literas vestras et patrem Nicolaum, quem ad me misistis, laetus audiui. Intellexi enim vos perseverare in benevolentia

erga me neque quicquam ex priori affectu remisisse. Gaudeo maiorem in modum et me vobis perpetuo devinctum obligatumque sentio. Referebat idem Nicolaus aegre vos ferre rem de die in diem² differri, vererique, ne inde ecclesiae vestrae aliqua pernicies afferratur. Neque profecto, ut nunc sunt hominum mores, sine causa vereri videmini. Multa de hac re invicem collocuti sumus, quae, quoniam scriptis vix comprehendi possunt, ex eo cognoscetis. Si³ quid in me opis esset, aut si ipse huic malo mederi possim, essem profecto is, qui debeo. Nam non minus mihi forsitan quam vobis haec mora molesta est. Sed difficile est os (ut dici solet) in⁴ coelum tollere et quicquam his, ad quos negotium vel inprimis pertinet, invitis conari: dixi tamen patri Nicolao, quae mihi visa sunt. Ea si vobis probantur, bene est: sin aliud quippiam in men-⁵ tem venit, per me non solum vobis omnia licent, sed etiam me adiutorem consiliorum vestrorum habebitis. Valete.

38.

Ad Conradum Alchamer.

[1493--94.]

Patri Conrado Alchamer s. d. Multa ad me quotidie, pater¹ Conrade, de Olomucensi negotio perferuntur, quae ego, quoniam ab incertis manant authoribus, hactenus parvifeci: nunc autem, cum certius quiddam exploratiusque huc allatum sit (neque tamen huiusmodi, ut mihi satisfaciat), ex te potissimum, qui omnibus his non solum interes, sed etiam praees, quid geratur gestumve sit, cognoscere cupio. Aegre enim fero rem de die in diem differri:² non quod pontificatus fastigii praeter modum sim cupidus (nam et ante acta aetas docet me hoc vitio carere, et omnes, qui mecum versantur, mihi testes esse possunt), sed quia in stabili firmoque statu quamprimum collocari mirifice opto, ut tandem aliquando sciam, quorsum normam dirigere et curas cogitationesque meas convertere oporteat: quin etiam propterea solum rarius ad te scribo,³ quam aut fortasse velis, aut tua in me merita postulant, quod non tantum ambitionem, sed etiam umbram speciemque eius mirum in modum reformido. In praesentia quoque id duntaxat ad scriben-⁴ dum compulit, ut, si studia conatusque vestri tandem finem habituri sunt, non omnino imparatus inveniar. Interim enim hoc universum tempus ita traduxi, quasi res, de qua agitur, nihil ad me pertineret: quod tamen a te caeterisque patribus in bonam patriam acceptum iri spero. Vale, et effice, ut immortalis Dominus,⁵ tuis aliorumque patrum pientissimis orationibus sollicitatus, instituta vestra ita gubernet, ut animarum nostrarum saluti et plebi Moraviae maxime expedit. Vale.

39.

*Ad Ioannem de Domaslawie.**2. Ian. 1494., Bulsavia.*

Bouslaus de Lobkowicz et de Hassistein Ioanni suo de Domaslawie apud tabulas publicas s. p. d. Misisti ad me blasphemias cuiusdam in ecclesiam Dei ore sacrilego debacchantis, et magnopere petis, ut his respondeam. In magnum me conicis pelagus, Ioannes, et adversus eum cogis scribere, quem ob suam in me humanitatem unice semper et colui et dilexi. Accedit his, quod in huiusmodi scribendi genere admodum invitatus versor, quippe quod non solum in Demosthene et Cicerone, sed in Ruffino quoque et Hieronymo nunquam probare consuevi: geram tamen tibi morem, quoniam ita vis: sed ut modestiae meae nequaquam obliviscar. Si enim Torquati, Fabii Camillique, quos ille tantopere admirari videtur, ut pene apostolis anteponat, pro republica innumeris sese discriminibus atque periculis obiecerunt: cui iure displicere posset me neminem maioris quam orthodoxam religionem facere? Paulus Cephæ in faciem restitit, et Aristoteles adversus Platonem scribens pium putat in honore veritatem præferre. Ignoscet certe mihi amicus iste, si, cum canes pro dominis latrare soleant, ipse quoque pro Christo (cuius sponsam pessundare conatur) non tacuero et se, quantum per me fieri potest, a perniciosissima opinione revocavero: neque tamen est, cur se novi erroris authorem existimet. Iam antea enim Dathan et Abiron adversus Moysen murmurabant et dominus Iesus a Iudæis Samaritanus et daemonium habens vocabatur. Luciferiani ex ecclesia Dei lupanar factum questi sunt, quos amicus noster sequi videtur: fortasse autem, quoniam, qui Luciferiani fuerint, ignorat, Ioannem Viclefium temeritatis ducem habuit, apud quem familiare est ecclesiam Romanam esse synagogam Sathanae. Ceterum debebat pro prudentia sua eorum exitus perhorrescere, quorum facta imitatur. Arrius Alexandrinus presbyter, qui pestiferum in religione virus toto fere terrarum orbe seminaverat, cum opus naturæ necessarium ageret, viscera pariter emisit. Iulianus Caesar, dum multa adversus Christianos molitur, in expeditione Parthica mortifero vulnere saucius coactus est exclamare: Vicisti, Galilæe, vicisti; ita enim Salvatorem nostrum per contemptum appellabat. Neque hæc loquor, quo aut huic amico aut cuipiam alteri quicquam mali ominari velim: id enim a moribus meis prorsus alienum est. Sed multa Dominus tolerat et lento (ut ille ait) gradu ad vindictam procedit, tarditatemque supplicii gravitate compensat. Poëta quoque ingeniosus

Ultima semper,

11

inquit,

Expectanda dies homini est dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Non carebit profecto unquam virtus suo premio neque perfidia te- 12

meritasque poena. Horres tu quidem, Ioannes, quae tua pietas est, impudentem hanc blasphemiam: sed non est, quare ecclesiae per-
 timescas: solidiora enim et firmiora sunt eius fundamenta, quam ¹³
 ut huiusmodi deliramentis convelli possint, et quae adversus tot
 persecutores haeresesque stabilis atque inviolata mansit, huius quoque
 conviciatoris improbos conatus facile in nihilum rediget. Neque ¹⁴
 enim Dominus frustra ait: Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fi-
 des tua. Possem certe surda (ut dici solet) aure haec pertransire, ¹⁵
 quandoquidem tela, quae in nos iacit, tam valida sunt, ut tute vel
 papyraceo scuto excipi queant: sed vereor, ne, quae dissimulo,
 approbare, et quae contemno, timere me arbitretur, atque in angu-
 lis et inter suas mulierculas tanquam victor gloriatur. Itaque ex- ¹⁶
 agitandus parumper est et docendus, quanquam sibi omnia sumit,
 non omnia tamen eum praestare. At quam magnifice orditur! Pu-
 tares montes parturire:

Qui coelum terramque, Deus, mariaque creasti
 De nihilo, coeptis non fave, quaeso, novis.

Omitto, quod poëta hic noster in principio statim insignes duos ¹⁷
 errores in versu commisit. Nam et tribrachum in quinto hexametri
 collocavit et ultimam syllabam in fave contra omnium poëtarum
 sententiam corripuit. Id vehementer admiror, quo spiritu percitus ¹⁸
 impedire cupiat, quae rex, quae procures totaque nobilitas, quae
 denique omnium urbium primores summo studio atque affectu ex-
 petunt. An prudentior, religiosior, amantior patriae omnibus est? ¹⁹
 quod profecto de se sentire et superbi et arrogantis esset. An for-
 tasse non putat se tanti, quanti nunc est, nominis auctoritatisque
 in pacata tranquillaque et bene instituta republica futurum? Hoc ²⁰
 nimirum est, quod amicum nostrum movet: non enim licebit pas-
 sim de religione susurrare, non obtrectare ecclesiae, non spargere
 semina discordiarum, non denique pestiferis his sermonibus impe-
 ritum vulgus ad res novas incitare. Neque enim homines priscis ²¹
 calamitatibus edocti tolerabunt, si quid ad evertendam rempubli-
 cam et ad quietem provinciae perturbandam fieri dicique videbitur.
 Sequitur:

Quae gens Pragensis opera molitur inani,
 Et quae perficere musca culexque potest.

Perstringit me scommate novus iste Timon, quoniam in quodam ²²
 epigrammate hac de re ita cecini:

Magna parant homines, quorum tu nomina nosti,
 Et vix mortali perficienda manu.

Potestatem, quam ego hominibus ademi, is etiam culicibus mu- ²³
 scisque tribuit: sed quam sibi constet, ipse viderit. Si enim facilia
 sunt, quae aguntur, cur Pragensium operam inanem putat? Sin
 autem difficilia, cur, quae homines non possunt, muscas culices-
 que posse ait? Cur a minimis animalium perfici posse censet, ²⁴

quae neque Sigismundus, Albertus, Ladislaus reges, neque Martinus, Eugenius, Nicolaus, Calixtus, Pius, Paulus pontifices Romani, quanquam ad id omni conatu incumberent, perficere potuerunt? Sed demus ei veniam, qui innata quadam maledicendi libidine ita 25 vehitur, ut nihil eorum, quae dicit, consideret. Forsitan etiam hyperbole usus, figura (ut inquit Fabius) amica poëtis: tametsi ec-tasim et systolen inprimis amplecti videtur. Nam et breves syllabas, quotiens libet, producit et longas corripit. Sed non est mirum humana eum pro suo sensu mutare, cuius animus adeo fastu plenus est, ut divina quoque et versare et in diversum torquere audeat. Ita enim ait: 27

Sed tu contrarias mentes animosque viriles
Spiritus et valida flamina mitte tui:
Romani coeca possint effugere monstri
Vincula, cui mentis lumen abesse vident.
Nam primi e populis atras sensere tenebras 28
Papalis monstri pestiferumque nefas,
Quo gentes late vacuas infecit et urbis
Iura sua statuens praecipitansque Dei.
Ille iugis gravibus onerat populos et iniquas 29
Constituit leges abrogatque bonas.

Accidit huic profecto, quod his, qui morbo laborant; nam ut illi 30 medicum amaras potiones et, quae non voluptati, sed valetudini serviunt, afferentem despiciunt, persequuntur et saevum vel crudelem carnificemque vocant: sic iste Gorgias Leontinus nostri temporis Romanum praesulem, omnium fidelium patrem, cui Dominus in persona beati Petri oves suas commisit et claves aeternae vitae dedit, offerentem ovile erranti gregi, offerentem sinum ecclesiae, offerentem denique salutem et coelum ipsum, aspernatur, irridet, rodit, lacerat et omnibus probris maledictisque insectatur: ut, quae 32 poëtae de Gigantibus, qui deos e coelo pellere voluerunt, fabulantur, huic non immerito adscribi possent. Expectavi certe hoc loco quippiam de bestia ascendente e mari, cuius Ioannes in libris Apocalypseos meminit: ne, ut est in omnibus artibus curiosus, Circaeο aliquo poculo subito ex pontifice Romano bestiam cornutam faciat: sed praeludia sunt haec, quae scribit auctor. Maiora enim 33 molitur in praesentia aut frenat suum impetum, et aliquot cohortibus emissis exercitum intra castra continet, ut semper novus paratusque veniat. Neque desperandum est eum aliquid praeclari confecturum, qui in ipsis initiis se tam egregie habuerit. Sed red- 34 igamus ad pauca, quae ille decem versibus complectitur. Appellat papam monstrum, ait Romanos primum ab eo depravatos, ait eum iura nova condere, abrogare vetera, instituere iniqua, et quae dei sunt (ut ipse vocat), praecipitare: addit etiam ab eo populos gravi iugo onerari: neque tamen, quomodo id reprehenderit, refert, 35 ut vel hinc cognosci possit, quanta sit hominis temeritas atque audacia. Nam cum ea, quae in papam evomit, nullis coniecturis, nul-

lis iudiciis, nullis argumentis probet, ita tamen se gerit, ac si discipuli Pythagorae simus, ut, quidquid dixerit praeceptor, credere cogamur. Ego vero longe aliter sentio : neque enim unquam a Romana ecclesia quicquam decretum est, quod non cum divinarum literarum testimonio tum probabili ratione confirmari possit. Quodsi ipse unum eiusmodi ex tot pontificum decretis ostenderit, non dubitabo imperitiam confiteri. Quod enim reprehendit iura pro tempore quandoque irritari, id non modo in pontificem, sed in omnes legum latores, qui unquam fuerunt, convenire potest, quin etiam ipse Dominus pleraque veteris testamenti abrogavit. Neque verum est pontifices adversum divinas leges aliquid unquam statuuisse : neque etiam quicquam affert ad id, quod asseverat, confirmandum : non taciturus profecto, ut est ingenium hominis, si quid vel fingere commode potuisset : quanquam enim ita interdum odio furoreque refertus, ut sine mente sensuque sit : erubescit tamen manifesti mendacii coargui. Atque utinam tanta diligentia, quanta pontifices, divinas leges observaret. Temperaret enim plerumque linguae, neque omnibus maledicere bonae conscientiae signum arbitraretur. Quod vero ait graviora onera populis imponi, forsitan verum est : neque id culpa pontificum fit, sed eorum, qui voluptatibus, deliciis libidinibusque assueti virtutis iter reformidant. Salvator certe noster iugum suave et onus suum leve nominat. Num iccirco Dominum mentiri dicemus, quod plerisque et durum et intolerabile videtur? Absit hoc a nobis, ne adversarium impietate superemus. Iubet pontifex a venere abstinere : indignabitur amicus se a formosorum corporum complexu arceri. Noli, inquit pontifex, ventri palatoque indulgere : non potest iste hanc legem ferre, quoniam, nisi subinde corpus cibo recreet, libidinibus suis sufficere non possit, illud evangelicum assidue decantans : quicquid intrat in os, non coinquinat hominem. Ait papa secutus Paulum : Nolite alta sapere, sed sapite ad sobrietatem. At hic, quem scientia inflavit, quem multae literae ad insaniam deduxerunt, nisi quotidie doctissimos sanctissimosque viros laceraret, nisi tolleret os in coelum et mystica fidei improba detestabilique oratione, quantum potest, subverteret, rudem se et ignarum ab omnibus existimari putaret. Ceterum quoniam pontificum legibus et decretis operimitur, dabo homini consilium iucundum magis quam fidele, sequatur Mahometeam perfidiam ab eius moribus minime abhorrentem. Nam et omnes libidines voluptatesque permittit, et in coelo quoque mulierum concubitus pollicetur, neque imitatur nostrarum legum severitatem. Rides hic fortasse, Ioannes, et merito : propterea enim a me dicuntur. Nam adversarius iste ecclesiae tam fortis est, ut risu sibilisque potius explodi quam argumentis revinci debeat. Illud autem admodum miror, cur primum Romanos tenebris infectos dicat. Si enim Christianam fidem tenebras appellat, Hierosolymis non Romae coepit, aut si de vocabulo quaeritur, in Antiochia Christianorum nomen originem habuit. Sin autem Sylvestri temporibus has tenebras adscribit, iam antea erant Nicolai-

tae, Ebionitae, Cherniciani Novatianique, quas haereses et pesti-
feras et a catholica religione prorsus alienas fuisse ne ipse qui-
dem (ut arbitror) negare audeat. Itaque si Sylvester Romanis tene- 48
bras intulit, quod ego minime concesserim, in eo tamen imperitiae
convincitur, quod non, ut ipse ait, primi Romani has tenebras sen-
serunt, quamvis fortasse, ut Anaxagoras nivem atram, ita et hic
lucem tenebras vocat, quam nos a Petro apostolo successoribusque
Petri Romanis illatam ingenue confitemur. Sed de Sylvestro latius 49
postea loquar: in praesentia enim coactus sum more Andabata-
rum in tenebris pugnare, dum, quos errores Romanis infusos af-
firmet, suspicor magis, quam intelligo. Quae autem addit, huius- 50
modi sunt:

Papa, stupor mundi, primus corripit avitam
Virtutem, docuit desidiamque sequi.

Namque illo auctore Romanis bellica virtus 51
Erepta est, sanctis religioque pia.

Da mihi Torquatos, Fabios fortesque Camillos:

Papa, stupor mundi, sustulit omne decus.

Miseret me admodum huius viri, qui, cum grande (nescio quid) prae 52
se ferat, adeo ridiculus fit, ut aniliter desipere videatur. Si enim
ut ipse ait, pontificum opera virtus bellica apud Romanos extincta
est, quid de Assyriis, Medis, Persis, Graecis, Macedonibus innu-
merabilibusque aliis nationibus, quorum etiam in re militari gloria
ngens fuit, dicemus? An forsitan eorum quoque animos aliquis 53
papa, nobis ignotus, enervavit? Quid, quod Torquati, Fabii, Camilli
ante Christi adventum nasci desierunt? Iam enim nobilissimi eorum
scriptores de ignavia, luxu inertiaque civium suorum queruntur.
Nec etiam imperium et rerum gestarum magnitudo et bellicae vir- 54
tutes religionis verae indicia sunt. Nam si ita esset, Turci et Sara-
ceni, quorum regnum hoc tempore longe lateque protenditur, longe
melius quam Christiani de immortali Deo sentirent. Quodsi ponti- 55
fices magis ad artes pacis quam belli populos sibi commissos eru-
diunt, quis tandem eos iure reprehendendos putet? Qui a magistro
suo Domino Salvatore suo audiunt: Pacem meam do vobis, pacem
meam relinquo vobis. Deliramenta sunt haec et profugia (ut in pro- 56
verbio est) miserorum: non enim sine divina providentia factum
est, ut nihil in rebus humanis firmum stabileque spectemus, sed
omnia fluxa, caduca et momentanea, quo scilicet maiori rerum
aeternarum desiderio teneamur. Neque novum est omnia mala, quae 57
in orbe terrarum contingunt, Christianis temporibus a perversis ad-
scribi. Porphyrius in libro, quem adversus religionem nostram con-
scripsit: Nunc vero, inquit, mirantur, si tam multis annis peste ci-
vitas vexatur, cum et Aesculapius et alii dii longe absint ab ea.
Postquam enim Iesus colitur, nihil utilitatis a diis consequi possu- 58
mus. Et Demetrianus, quem Cyprianus acerrime refellit, bella, morbos,
famem nobis tribuebat. Augustinus quoque in libris, quibus de civi- 59
tate Dei titulus est, copiosissime diligentissimeque hos confutavit,

ut monstrum sit inveniri hominem, qui opinionem a doctissimo quoque improbatam damnatamque sequi et restaurare audeat. At religionem quoque a pontificibus eversam criminatur. Quid hic dicam, nescio. Si enim quid proferret et ratione auctoritateque, cur plerisque in nostris institutis ceremoniisque offendatur, ostenderet, responderemus: forsitan ut, qui male loquitur, male quoque audiat. Sed nihil tale facit. Itaque aut ego fallor, aut indignatur pontificum cura et diligentia priscas religiones et cultum multorum deorum evanuisse. Quod si ita est, improbe sibi nomen Christiani usurpat: neque dignus est, cum quo ut Christiano disputetur. Commemorat adhuc tamen Torquatos et Camillos, quasi viri illi patriae amantissimi, si in vita et nostra republica essent, passuri fuissent quemquam provinciae quietem turbare aut ea, quae pro salute eius geruntur, impedire. Sed prosequamur reliqua:

Si vitam inspicias illius, religionis
 Vestigia sanctae cernere nulla datur.
 Fastus et ambitio, impietas dominatur
 Atque omnis morbi mater avaritia.
 Versutiae, fraudes regnant et dulcia furta
 Et sternit cunctos vana superstitio.
 Agricolae boni ista seges est: hanc disserit ille,
 Pontificis summi qui loca summa tenet.

Quanta sit temeritas huius levissimi nebulonis, quanta insania, quanta denique rabies, quis satis digne explicare posset? Quo enim lenone, quo sicario, quo latrone non peius foediusque pontifices vivere ait? Obicit eis fastum, ambitionem, impietatem, avaritiam, versutias, fraudes, libidines, superstitionem, et tanta verborum maiestate haec refert, ut eum in tertium coelum raptum esse, et quicquid Romae geratur gestumve sit, Praegae vidisse diceret. Quodsi in omnes, qui unquam fuerunt, flagitiosos sceleratosque simul in unum collectos acerbissime invehi vellet, quid tandem aliud haberet, quod in eos evomere posset? Magna tamen ei propter hoc gratia habenda est, quia, quanto plura in pontifices congerit, tanto manifestius facit se non iudicio rationeque, sed morbo quodam animi rabieque ductum, in haec probra contumeliasque prorupisse. At quia sine peccato: idcirco primum lapidem in mulierem adulteram proicit. Errat vehementer, quisquis ita censet: est enim omnium facinorum quaedam officina atque colluvies. Atque ut, quae pontificibus obicit, in auctorem revolvam, quid eo aut superbius aut fastu plenius est? Nonne omnes, contemnit irridetque, illius doctrinam, huius mores carpit et, quod extremae improbitatis est, his, quos coram laudat admiraturque, clam obloquitur atque detrahit; neque mortuis parcit, sed quasi Aristarchus quidem unumquemque pro libidine sua ex numero doctorum bonorumque expungit: ut solus sapere solusque virtutis quoddam speculum esse videatur. At ambitionis etiam mentionem facere audet, quasi quicquam eo aut ambitiosius aut dignitatum avidius sit. Nam ut omittam, quae

praeter spem hominum acciderunt, hunc certe magistratum, quem obtinet, non nisi ambitione consecutus est. Quotiens enim is, ad quos ea res pertinet, supplex fuit: atque adeo, ut nullum blanditiarum genus praetermitteret. Quotiens competitoribus minis absterruit: sciunt omnes, qui secum familiariter degunt. Impietatem obicit: ipse in Deum hominesque impius. Sed de hoc posterius loquemur: nam in praesentia de avaritia dicendum est, quam matrem vitiorum appellat. Cur enim tantus hostis avaritiae fenus exercet? 73 Cur usurae incumbit? quam non modo Christianae leges, sed Iudaeorum etiam atque Saracenorum prohibent. Cato quoque senex fenerari et hominem occidere par iudicabat. Accusat libidinem pontificum, a qua suspicione, si non ante acta vita, at aetas certe decrepita eos liberat. Sed quis est hic Hippolytus, qui aliena oculis lynceis inspicit, in suis talpa est? Is profecto, qui inter scorta meretriculasque a pueritia versatur, in cuius domo pellices una cum matrefamilias degunt, qui adeo mulierculis afficitur, ut inter eas philosophari quoque pulchrum putet; is, inquam, adeo pudorem verecundiamque omnem exuit: libidinem ecclesiae exprobrat. Sed restat, ut de superstitione disseramus et eum non supersticiosum, sed plane irreligiosum ostendamus: quippe qui neque Christianae neque cuiquam alteri religioni astringitur, sed quasi novus Arcesilaus aut Carneades omnia incerta esse arbitratur, non dubitaturus, nisi impetum populi vereretur, inferos superosque negare. Quotiens enim sanctos blasphematur. Quotiens de eis male loquitur. 74 Quotiens mysteria sacrificiaque Christiana irridet. Huc nervos eloquentiae suae intendit, in hoc genere causae declamat, hic se maxime exercet. Non me ista fingere plerique testes sunt, qui mihi hominis mores saepenumero non narrarunt tantum, sed etiam depinxerunt: et queritur de superstitione et impietate, qui veram religionem et pietatem ne somniando unquam cognovit. Confirmat autem sententiam suam testimonio ex hymnis Aeneae sumpto: quamquam autem vix crediderim Aeneam hymnos scripsisse, parum enim studii operaeque vir ille in versibus componendis posuit, et si quid in eo genere scripsit, id Basileae incendio absumptum fuisse ab his, qui vitam eius scripserant, traditur. Demus tamen hoc homini, ut intelligatur, quam liberaliter secum agimus, et petamus vicissim iure humanitatis ab eo, ne uni testi credere compellamur: et si quid sive Aeneas sive quis alius lascivius petulantiusque scripserit dixeritve, sententiae suae tanquam arbitri stare, quandoquidem et Augustinum non puduit pleraque in voluminibus suis retractare. Quodsi Aeneae tantum tribuit, cur Hieronymi, Ambrosii, Gregorii, Hilarii, Bernhardi Anselmique testimonia non admittit, qui in laudibus ecclesiae personant? Nisi fortassis maior auctoritas Aeneae est quam eorum, quos modo nominavi, qui omnes tempora Sylvestri secuti sunt. Quod ideo dixi, ne calumniandi occasionem ex hoc locoumat. Ceterum fingamus sane ecclesiasticos principes malos esse: nam et ipse quoque non omnia in omnibus probo, neque tamen more adversarii pro deum 84

hominumque fidem exclamo, sed potius misereor: nempe qui scio et in coelo et in paradiso peccatum inventum, et ludam unum ex duodecim apostolis fuisse. Fingamus tamen, inquam, plerosque 85 fuisse aut, si ita adversarius vult, omnes corrupte vitioseque vivere, non propterea potestatem a Domino acceptam amiserunt. Quis hoc praeter adversarium unquam dixit? Periculo certe suo male ope- 86 rantur et suo domino stant aut cadunt, neque sacrificia ab his contaminantur, sed duntaxat se pollute tractantibus perniciem afferunt. Malus erat Caiphas, sed, quia pontifex anni illius, propheta- vit. Dominus quoque in euangelio eo loco, ubi ait: Quaecunque 87 dixerint vobis, facite, secundum vero opera illorum nolite facere, clare ostendit: malis etiam obediendum esse. Petrus apostolus: servi, inquit, subditi estote in timore dominis non solum bonis et modestis, sed etiam dyscolis, hoc est (ut Latine loquar) diffi- libus. Et Paulus: Qui, inquit, potestati resistit, Dei ordinationi resi- 88 sistit. Multa id genus ex utroque testamento adduci possent, sed sordent sacrae literae adversario, et quia polita solum, limata, con- cinna excoltaque legere consuevit, haec quasi rusticana irridet at- que aspernatur; cumque lumen oculis coecutientibus minime vi- deat, non oculorum culpam, sed solis arbitratur. Hoc profecto, 89 quod diximus, omnes rerum divinarum scriptores una voce asse- verant, ut miraculum sit hominem, qui in populis Rabi appellari cupit, haec ignorare. Quis enim moris humani vel mediocriter pe- ritus nescit, quanta perturbatio confusioque omnium rerum sequa- tur, si admiserimus eum, qui in aliqua potestate constitutus pec- caverit, ius regendi perdere? Nam ut neminem alium nominem, 90 ipsius adversarii certe acta saepenumero rescinderentur. Quoniam autem nobis Sylvestrum exprobrat, non est praetereundus hic lo- cus, neque tamen animus mihi est ostendere, hoc tempore utiliter principatum rerum temporalium apud ecclesiam esse. Nam multi 91 in hoc campo decurrerunt, ex quorum fontibus ista hauriri possunt. Neque enim imperium aut divitiae obsunt ei, qui his bene utitur, neque pauperi paupertas prodest, si constitutus in paupertate pec- cata non cavet. Sed quia vulgi opinionem secutus imperium, quo 92 in praesentia pontifices utuntur, ecclesiae in persona Sylvestri da- tum putat, docendus est, in quanto errore versetur. Quis enim hi- storicorum hoc tradidit? Non praetermisisset hoc profecto Orosius, 93 non Eutropius, non Damasus, non ipse Augustinus, non denique alii, qui minima quaeque de gestis Constantini scrutati sunt. Quodsi Lactantius, qui aetate illa floruit, quaerit, cur regna atque opes sint piis negata, manifestum est pios, hoc est Christianos, per ea tempora nullum imperium habuisse. Unde ergo illa vox, de qua 94 sibi adversarius applaudit, virus ecclesiae Dei infusum esse? Nam si hoc virus ecclesiasticam potentiam significabat, neque ea tempe- state ulla apud ecclesiam potentia erat, perspicuum est, quanta sit illius vocis a levissimo aliquo confictae auctoritas. Debebat haec 95 adversarius considerare et venenum, quod in corde gerit, melius concoquere, neque tam paucis verbis negotium confectum arbi-

trari. Innumera alia dici potuissent. Ioannes, sed non patitur epi- 96
stolaris angustia nos latius evagari. Neque etiam haec in adversarium
scribimus: quis enim labor est suas ineptias convincere? Sed tibi, 97
cui aliquid negare nefas iudicamus, satisfacere volumus. Ut au-
tem cognoscas, quanta sit doctrina huius poëtae, errores, quos in
versibus commisit, huic epistolae subiunximus. In primo versu 98
tribrachum in quinto posuit, in secundo in fave corripuit ultimam
syllabam, in quinto secundam syllabam in contrarias similiter male
corripuit, in septimo in effugere secundam syllabam produxit, in
vigesimo secundo secundam syllabam in vestigia corripuit et
iambum secundo loco posuit, in vigesimo tertio integer pes deest, 99
in vigesimo quinto secundam syllabam in versutiae male corripi-
uit, in ultimo secundam syllabam in papalibus, quam antea pro-
duxerat, nunc corripit: putatque sibi tantum in ea dictione licere,
quantum Vergilio in connubio et Sidonia. Quodsi vis, ut uno verbo 100
rem absolvam, scito carmina sua magis spongia quam emendati-
one indigere. Vale. Datae Bulsaviae. Anno Salutis nostrae
MCCCCLXXXIII. Die secundo Ianuarii.

40.

Ad Ioannem de Pibra.

18. Martii 1494., Bulsavia.

Ioanni de Pibra s. p. d. Misisti ad me hymnum sub nomine 1
Aeneae Sylvii impressum: et quaeris, quale sit meum de eo iudi-
cium. Accipe paucis, quid sentiam. Hymnus naturam et magis 2
religionem Christianam quam poëticen redolet, minime tamen, ut
mihi videtur, authore, cui adscribitur, dignus: quippe in quo sae-
penumero in syllabis peccatur, quod profecto a Sylvio penitus ali-
enum est. Quod autem ais plerosque, quae in hymno dicuntur,
adversus pontifices maximos dici putare, ridiculum est. Non enim 3
video, cur summis pontificibus potius quam unicuique, qui ita vi-
vit, ut minime venerandae crucis particeps sit, convenire possint.
Nimirum etiam id commentum est, qui perniciosas suas opiniones,
quo tolerabiliores apud populos sint, aliorum autoritate contegere
cupiunt. Sic Platonis allegoriae multis erroribus perfugium fuerunt. 4
Sic Averroes Arabs unitatem intellectus ex verbis Aristotelis do-
cere conatur. Sic Arriani, Sabelliani, Macedoniani haeresum suarum
velamenta ex euangelio assuebant. Non erat certe Aeneas tantae 5
temeritatis atque insaniae: declarant id libri concionesque suae, in
quibus de pontificibus semper honestissime loquitur. Atque utinam
hoc genus hominum, quicunque tandem sunt, ea sint, qua Aeneas,
modestia. Sed illi de se viderint. Nostrum est pietati virtutisque 6
studere et operam dare, ut plus apud nos valeat ecclesia Dei, tot
scripturae testimoniis totque doctissimorum sanctissimorumque ho-
minum sententiis saepta et munita, quam talium dementia et per-
versitas. Sed de his plura, quum, ut polliceris, advenies, colloque- 7
mur. Vale. Datae Bulsaviae. 18. Martii, 1494.

41.

Ad Victorinum de Wssehrd.

[1494.]

Victorino s. p. d. Petis iterum, Victorine, a me, ut versus 1
quosdam, nescio an a te compositos, manu certe tua scriptos, tibi
remittam. Gessissem iampridem tibi morem, et te cura, quae animum
tuum exagitat, liberassem, sicubi comparerent: sed neque compa-
rent, neque huiusmodi sunt, ut scriniis nostris dignos iudicem: quip-
pe in quibus plus blasphemiae quam elegantiae continetur. Neque ego 2
his (quanquam manifeste me peterent) respondendum putavissem,
nisi Ioannes meus Pibreus temeritatem illius, (quisquis tandem
eorum versuum autor est) a me retundi et cohiberi voluisset.
Quamobrem, si tui sunt, noli indignari, si lacessitus abs te (ut
visum est) respondi: sin autem (ut tu persuadere conaris) alterius,
ille, qui scripsit, in se scripta existimet. Et quoniam male loquu- 3
tus est, male quoque se audire aequo animo ferat. Quod cupis,
ut nostra (ne tibi aliquando obsint) revocem: id si mihi integrum
esset, perfacile a me impetrares: sed penes Ioannem quoque Pi-
breum eius rei potestas est, qui tantus amator gloriae nostrae est,
ut etiam, quae dormitantibus nobis excidunt, in vulgus emittat.
Quae de amicitia vera commemoras, ea et probantur mihi et a 4
natura consuetudineque mea minime abhorrent, neque unquam aut
violata sunt a me nec violabuntur. Caeterum, ut probi integrique
hominis est, amicitias fidas pure, sancte sincereque colere: ita et
prudentis, fictas subdolasque (quantum fieri potest) cavere: id
tibi quoque faciendum censeo. Vale.

42.

Ad Bernhardum Adelmanum.

[1494.]

Bernhardo Adelmanno s. d. Benigne ad me scribis: quapropter 1
responsum benignum accipies, maxime cum dederis mihi spem
te posse ad sanitatem reduci. Quoniam autem hoc tempus brevius, 2
quam ut omnia, quae tu postulas, ita ut res postulat, complecti
scribendo possim, paucis tecum agam remittendo te potius ad eos,
qui tibi satisfacere poterunt, quam quicquam ex capite proprio
affirmando. Cur communio sub utraque specie sit laicis interdicta, 3
tum multi alii tradiderunt, tum Dominicus cardinalis de Turre
Cremata et Ioannes Gerson, qui plurimis argumentis non solum
probant, sed etiam pervincunt hoc ecclesiae praeceptum et utile et
salutare populo esse. Hilarius quoque decanus Pragensis ecclesiae 4
in hac materia non contemnendum scripsit volumen, quod si crebro
lectitaveris, non parvum inde fructum consequeris. Concilium Ba-
siliense, cuius testimonio uteris, nihil ad rem facit: quoniam om-
nia eius concilii acta durante scilicet schismate per Eugenium
pontificem maximum revocata sunt. Cur etiam sacerdotes et clerici 5
in sacris constituti ab uxeribus arceantur, multis ostenditur rationibus,

quas adducunt doctores 31. et 32. distinctione in Decretis per totum. Multa etiam Alexander de Hales : multa D. Thomas de hac materia scribunt, quae hoc tempore commemorare non est mihi ocium. Idem quoque Gerson de coelibatu ecclesiasticorum egregium librum composuit. Sunt innumerabiles alii, quos sponte praetereo : quoniam eos, quos nominavi, arbitror satisfacere posse. Quae de Graecis, Indis Armenisque refert, nihil probant : quia illae nationes in aliis quoque ab ecclesia catholica dissentiunt : nam et ignem purgatorium negant et Spiritum Sanctum non a Filio, sed a Patre solo procedere asseverant : et alia pleraque, quae omnia Divus Thomas insigni volumine confutavit, quod Urbano pontifici maximo dedicat. Dum peragrarem ante hoc triennium Aegyptum, vidi quosdam, qui se Iacobitas appellabant : hi ultra alios Graecorum errores se circumcidunt. Multa dici possent, sed neque mihi ocium est, neque brevitatis temporis late vagari patitur. Quamobrem his in praesentia contentus esto. Quodsi aliquando ad me venire voles, et malueris non mea, qui nihil sum, sed ecclesiastica verecunde discere quam tua impudenter ingerere : forsitan non male tibi consules. Vale.

43.

Ad Ioannem de Pibra.

8. Aug. 1494., Cadana.

Ioanni de Pibra s. d. In eodem, quo antea, luto haesitas, Ioannes. Neque enim unquam accidit, ut homini scribere volenti materia desit : quandoquidem id saltem scribere possit nullum usitatum genus ad scribendum offerri. Quod autem ais minime animum tuum propterea a me alienatum esse : neque me debere silentium hoc in aliam, quam par est, partem interpretari, ludere mihi videris : quippe qui ea diluis, quae nemo obiicit. Caetera autem suspensio (ut dici solet) pede praeteris : quasi timeas, ne crabrones forsitan adversum te irrites. Petis, ut versus quosdam a nobis editos tibi mittam : ego autem vellem, ut non solum a me (qui nihil sum), sed ab omnibus recentioribus tam diu abstineas, quamdiu tibi veteres ad legendum supersunt (quoniam infirmiora ingenia et nondum certi dicendi generis sibi conscia, in his longe tutius quiescunt), geram tamen tibi morem, sicubi id saltem, quod cupis, reperiri poterit. Ego enim nunquam mihi tantum in scriptis meis applaudere soleo, ut digna, quae reponi soleant, existimem. Vale. Datae Cadanae anno post natum Salvatorem 1494. Augusti 8.

44.

Ad capitulum Olomucense.

[1494-95.]

Venerabilibus viris d. decano et toti capitulo Olomucensi s. p. d. Audivi legatos vestros, quos Romam misistis, iampridem rediisse. Hi quid attulerint, nondum compertum habeo. Nam neque

fama aliquid ad nos a'latum est, neque vos huiusmodi quicquam literis vestris significastis. Quae quorsum tendant, prorsus ignoro. ² Mihi quidem decretum est omnia integre agere, et neque secundis rebus efferri neque adversis frangi, animumque adversus omnem fortunam firmum inconcussumque gerere: si tamen fieri possit, ³ sententiam vestram magnopere cognoscere cuperem, ut, si ille ardor studiorum vestrorum erga me atque impetus consenuit, mihi consulam, et curas cogitationesque meas longo iam tempore vacillantes stabiliam atque alio transferam: nempe qui invitis vobis in ⁴ pontificatum Olomucensem, etiamsi id crepitu digitorum fieri liceret, involare minime vellem. Valete, et haec in bonam partem accipite, quoniam a me puro animo et ab omni contumelia vacuo scribuntur.

45.

Ad Martinum Melerstat.

[1495.] — *Responsum App. 10.*

Bohuslaus de Lobkowitz et Hassystein clarissimo viro Martino Melerstat, ducali physico s. p. d. Edidi proximis his diebus brevem libellum de miseria humana: hunc tibi dicandum esse putavi, qui et literarum perquam studiosus es et nobis inprimis amicus. Multis id indiciis tum antea tum nuper perspexi, quando frater ² meus Ioannes apud principem Fridericum erat. Retulit enim te honestissime de me loqui et mihi ex animo affici, quod iucundius, quam dici potest, mihi fuit, tibiue immortales ago habeoque gratias. Magnum enim incrementum felicitati meae ex tanti viri amicitia ³ accessisse arbitror. Potuissem quidem latius in hoc opere vagari, sed, quoniam ineptiendum erat, paucis id facere volui, neque etiam fas esse existimavi te ducalis consilii participem huiusmodi nugis a cura reipublicae abducere. Consules itaque boni et munus hoc ⁴ nostrum non sui qualitate, sed mittentis affectu metieris. Vale.

46.

Ad Ioannem de Pibra.

[1495.]

Ioanni de Pibra s. p. d. Libellum nostrum de miseria humana censorem esse nactum ais. Is si huiusmodi esset, ut iudicium suum magni faciendum sit, aequo animo ferrem: neque enim tantum mihi arrogo, ut nunquam me lapsum fuisse existimem: quod etiam doctissimis hominibus non contingere non potuit. Caeterum melius ² erat amicum hunc nostrum ea de re ad me scribere et, quid reprehendendum putat, manifeste ostendere: aut enim errorem meum, si quis esset, agnoscerem et homini gratias agerem. Nunc vero per angulos obloquitur, neque, quae displicent, in publicum profert: ut mihi facultas mei defendendi omnino praerepta sit. Quamobrem ³ velim, ut contineat impetum neque materiam laudis ex me petat: alioquin sentiet et nos manum ferulae subduxisse neque certamen

literarium, in quo poene ab infantia versati sumus, extimescere. Invitus haec scribo et bilem erumpere gestientem cohibeo : sed nisi destiterit, cogar et ipse aliquid ex veteribus studiis repetere : docebo Aristarchum hunc aetatis nostrae, qui in aliorum operibus caprearum oculos habet, in suis talpam esse : neque ulla alia re nisi temeritate et impudentia nos ab eo superari. Vale.

47.

Ad Ioannem Pibreum.

3. Oct. 1496.

Ioanni suo Pibreo s. p. d. Peracerbae mihi literae tuae fuerunt : cognovi enim ex his summi illius hominis Alexii interitum. Nondum noveram ipse hominem, plurimum tamen amabam. Solet enim nescio quomodo accidere, ut, in quibus aliquam virtutis indolem esse audimus, eos etiam ignotos et diligamus et admiremur. Institueram iam insinuare me in eius amicitiam : neque parvum fructum ex tanti viri familiaritate atque consuetudine sperabam, sed interruptit consilia mea immatura eius mors, quae mihi quidem ingrata est, populo autem Pragensi etiam perniciosa. Quis enim vulgus illud omni vento mobilius aut pari eloquentia et doctrina moderabitur, aut exemplo ad honestum vitae genus provocabit ? Ille quidem suo fato functus est, et fortassis ideo raptus, ne malitia eius intellectum mutaret, ut Philon Iudaeus loquitur, sive quis alius eius operis autor est : nos noster exitus manet, quem ut immortalis Deus secundet, precemur. Plato nihil aliud philosophiam esse ait, quam mortis meditationem : cuius persimile illud quoque est : fili, memorare novissima, et in aeternum non peccabis. Vale. Datae anno 1496, Octobris 3.

48.

Ad Bernhardum Adelmannum.

[1496—97.]

Bernhardo suo Adelmanno s. d. Miseram ad te pridem nuncium cum literis meis, sed, antequam is reversus est, tuas accepi plenas dulcium querelarum et summae tuae in me benevolentiae. Renovatus est inde moeror meus, quem ex optimi illius pontificis morte cepi, dum non solum meam, sed etiam tuam vicem doleo. Accedit huc, quod nuncius meus Noriberga rediit et minime ad te (ut iussus erat) profectus est : quo factum est, ut minime cognoscere potuerim, quam forti animo sis, et quomodo hanc aegritudinem feras. Non est enim, Bernharde, cur magnopere affligamur : quotidiana enim haec sunt et nulli genti hominique ignota : ita nascimur, ut moriamur, et stulti, immo arrogantis esset de creatore nostro queri, quod immortales nati non sumus. Ille quidem suo fato functus est, nos nostra manent : quae ut Deus prospera faciat, precemur. Haec paucis ad te, cum, quod nolo in sylvam ligna ferre, tum, si tam ardens ab adolescentia tuum literarum studium non

facit, ut humanos hos casus moderate non feras, ipse quoque me aliquid apud te proficere posse spero. Quod ad me attinet, multa se offerunt, quae te scire vellem: sed tot sunt, ut vix explicari possint. Quamobrem Lucam hunc familiarem meum (quem hoc tempore Noribergam misi) iussi, si commode fieri poterit, nuncium ad te mittere et copiose omnia perscribere. Tu facito, ut interim valeas et valetudinem tuam tanto diligentius cures, quanto magis tranquillitas animi mei ex te solo pendet. Expecto a te epistolas Augustini, tum opera Ambrosii, de quibus ad me scripsisti, tum pleraque alia opera. Vale.

49.

Ad Wladislaum, Pannoniae et Bohemiae regem.

22. Apr. 1497.

Serenissimo atque excellentissimo suo principi et D. D. Wladislaui, Pannoniae Bohemiaeque regi, Bohuslaus de Lobkowitz et Hassystein s. p. d. Scribentem me ad te, rex Wladislaë, pleraque, in quibus laus et amplitudo nominis tui magnopere versatur, quaeso obtestorque, ut aequo animo feras, neque propterea temeritatis et impudentiae condemnes, qui ceteris quidem in rebus multis, fide tamen et observantia erga te nemini tuorum cedo; et, nisi fallor, tanto sum officiosior existimandus, quanto melius est vel ineptum aliquid facere, quam ea, quae honori gloriaeque tuae in primis conducunt, reticere. Multi enim eadem fortasse, quae ego, sentiunt, sed, ut ait poeta, mussant: sive quod leviora putant, quam ut ad te perferenda sint, sive quia, dum privatos suos quaestus et lucra sequuntur, nihil te scire volunt, unde eorum avaritiae atque cupiditati modus imponi possit. Ego vero, qui mihi affectibus his prorsus liber videor, facile adductus sum, ut hanc provinciam subirem. Neque enim vereor, ne quippiam perperam dixisse mihi apud te capitale sit, qui etiam illis, qui tuo capiti tetenderunt insidias, non dubitasti pro tua mansuetudine ignoscere. Neque tamen a me aliquid eiusmodi expectari velim, quod tu, qui summa admirabilique sapientia praeditus es, non animadverteris. Ceteri nos, qui inter vulgus assidue vivimus, multa audimus, quae ad principes vix perveniunt, et quod in multitudine magna hominum varios sermones oriri necesse est, et quod apud nos liberiores voces sunt: quae ex me cognovisse fortasse operae pretium erit. Nam et priscorum regum nonnulli, cum purpuratorum plausus suspectos haberent, plebeio amictu vicos plateasque circuibant, et populi de se rumusculos aucupabantur. Neque puduit eos aliquid ex maiestate remittere, quo cautiores et prudentiores evadant. Haec ego ad te longe tutiore via adfero, nihil recusaturus pati, si quid mentitum invenies. Audi duntaxat benigne me unum e numero popularium tuorum non meam causam agentem, sed reipublicae et patriae, quae tot immortalibus tibi devincta beneficiis non iam ut dominum et regem te metuit, sed ut indulgentissimum patrem colit, amat, veneratur et observat. Libet haec paulo altius repetere, cum ut ea, quae

scribere institui, clariora sint, tum ut exemplo tuo cognoscas, quam populare et omnibus gratum sit iustum legitimumque imperium. Adolescentulus eras, quando primum huius provinciae gubernationem 9 suscepisti: omnia apud nos dubia incertaque reperisti: nihil tibi fidi nihil tuti usquam erat. Pressus es externo bello, domesticorum insidiis: magna tuorum pars, nisi quotidiana munera ex te caperet, ab officio discedebat. Miserebantur tui omnes vicinae nationes, quasi in maximis periculis positus esses; neque parens 10 Casimirus infamia carebat, quod florentissimum et optimae indolis filium tantis tempestatibus obiecisset. Ceterum tanta erat in aetate tenera prudentia tua, tanta in adversis aequae et prosperis animi magnitudo et constantia, ut et hostium conatus facile reprimeres et tuorum dolos caveres. Equidem alios principes, qui meliores 11 fuisse existimantur, a fine magis quam initio laudare solemus. Sic Augustus Caesar post bella civilia et crudelissimas caedes proscriptionesque hominum moderator factus est: sic Constantinus, ubi omnia Christiano sanguine impleverat, religiosum imperatorem egit. Tu vero huiusmodi artibus regnum auspicatus es, ut ex eo tem- 12 pore manifestissima omnibus documenta dederis, quam sancte probeque victurus esses, posteaquam ad maturiores annos pervenires. Faciles ad te aditus patebant, nulli intempestive accessisse fraudi fuit. Si quid petulantius et contumeliosius de te diceretur, maluisti 13 contemnere et non agnoscere quam ulcisci. Importunas tuorum preces et quae interdum vel mitissimum quemque exasperare potuissent, aut admittebas, aut ita reiciebas, ut nemo de te iure queri valuerit. In ipsa aerarii inopia nunquam ad privatorum opes con- 14 fugisti, non oppressisti viduam, non pupillum expilasti. Saepe numero etiam M. Antoninum cognomine Philosophum imitatus es, quem aiunt in simili casu potius regiae supellectilis auctionem fecisse, quam cuiquam aliquid extra ordinem imperasse. Finito deinde 15 luctuoso bello, et tam tuis quam hostium cladibus insigni, foedus cum Mathia Pannonio icisti, conversusque ad ea, quae pacis erant, delegisti primum, qui iudicio publico praeessent et ius omnibus redderent. Seditionem inter proceres et nobilitatem a Sigismundi 16 usque temporibus gliscentem, quae magnas calamitates in regno excitatura videbatur, facile sedasti, la'rocinia, quae tota provincia impune debacchabantur, funditus sustulisti, homines novarum rerum avidos partim auctoritate, partim metu in officio continuisti, multitudinem, quae armis militiaeque assueta vix unquam a maleficio temperatura erat, ad mitiorem vitam et cultum agrorum reduxisti, cumque per belli tempus multa ab iniustis possessoribus 17 occuparentur, neque sine maximo motu ad veros dominos redire possent, ita ea omnia consilio sapientiaeque tua explicuisti, ut nemo se laesum arbitraretur. Ingens inde nomen tuum apud omnes gentes atque nationes. Principes finitimi, qui te antea contemnebant, nunc 18 amicitiam societatemque tuam miro desiderio expetere. Proceres tui tandem aliquando ad se reversi, si quid imperabas, cupide parere. Lux quaedam tum nobis orta erat, et secula, quae poëtae aurea 19

vocant, advenisse putavimus. Sed interceperant hanc felicitatem nostram novae lites praeter expectationem omnium inter te Mathiamque exortae. Neque enim bellicosissimus ille spiritus unquam quiescere potuit, devictaque Austria cum totius Germaniae imperium mente agitare, ad Boëmiam veluti maximum gerendarum rerum momentum animum applicuit: neque, quibus eam artibus assequeretur, quicquam pensi habebat. Itaque cum magnam incolarum partem aut auro corripisset, aut ingentibus honerasset pollicitis, tantum omnibus tuis terrorem incussit, ut iam de te actum crederetur: neque iniuria sane, quando nonnulli ex his, quos ipse honoribus opibusque auxeras et tui consilii participes feceras, inter coniuratos essent. Sed vigilabat pro te immortalis Dominus, neque passus est humana fraude opprimi, quem per varios eventus ad summum dignitatis culmen provehere destinaverat. Compositis enim iam omnibus et facinore pene peracto Mathias morte correptus docuit cogitationes mortalium vanas esse. Poteras tum libere in nocentes saevire, poteras de coniuratis vindictam sumere, et ceteros a simili parricidio absterre: sed noluisti innatae tibi benignitatis oblivisci, sufficereque putasti paucorum supplicio ostendere aliis, quid eos pati conveniret: quam moderationem tuam quae tandem aetas nesciet? quod seculum ignorabit? Nec me fugit plerosque aliter sentire et vereri, ne nimia haec clementia in caput tuum cum summa reipublicae perniciē aliquando erumpat: ego tamen, quod benigne humaniterque factum est, qualemcunque id finem habuerit, non probare non possum: quanquam scio aliquos, dum crudelitate poenarum in pari casu nihil profecissent, mansuetiorem hanc viam ingressos sibi in posterum consuluisse. Magna haec sunt, quae retuli, neque tamen sua mercede suoque praemio carent. Unde enim factum putas, ut opulentissimum Pannoniorum regnum tibi obtigerit? num quia vicinus eras? sed et Maximilianus: neque illi minus Germania quam tibi Boëmia affutura sperabatur. An quod nobilis et ea generis claritudine, qua nescio si quid in terris illustrius est? nisi plane ad fabulas refugere velimus et his credere, qui sibi familiam ex Homeri carminibus adoptant, qualis erat memoria patrum Philippus Mediolani dux, qui Aeneam illum poetarum carminibus inclitum inter maiores numerabat, qualis nuper etiam ille, qui M. Valerium Corvinum auctorem nobilitatis suae credi voluit. Nec dissimiles sunt plerique rerum nostrarum scriptores, qui Boëmorum originem ad famosissimam illam turrem Babel, ubi primum linguarum confusio facta est, referunt. Puerilia sunt haec neque argumentis refellenda, sed risu sibilisque explodenda. Tu vero, si paternum genus inspicias, Casimirum, Wladislaum Vitoldumque invenies: si maternum, Albertum, Sigismundum et Carolum. Attingere enim superiora et per atavos tritavosque tuos vagari, non est nostri instituti. Tametsi autem vulgus ingens hominis ornamentum nobilitatem esse putat, neque ego secus iudicaverim: qui tamen haec curiosius et exquisitius rimantur, nihil huiusmodi in bonis habendum censent. Ce-

terum, quidcunque id esse dixerimus, commune tibi cum fratre Alberto fuit. Iunior ille quidem et robustior, atque ideo ad labores 30 et regia munera obeunda aptior videri potuit. Sed non hoc spectaverunt Pannonii. Aliud tibi eorum animos conciliavit, aliud, inquam, et, quod peculiare propriumque tuum est, te genti illi acceptum gratumque reddidit. Nemo querebatur se inique condemnatum, neque quicquam sibi abs te per iniuriam ereptum: quin etiam, si quid alicui, ut fit, parum probabatur, tanta tamen erat existimatio virtutis tuae, ut nemo id tibi, sed purpuratis tuis tribueret. Intellexerunt item, qua modestia, aequitate, iustitia et totius 32 vitae integritate Boëmiam nostram administraveris, atque ideo te unum omnium dignissimum iudicaverunt, cuius virtuti fideique se et sua omnia. permitterent, quo rege speraverunt se post intolerabile illud iugum aliquanto respiraturos. Forsitan etiam divinitus id 33 factum est, ut sit, qui tandem vere Pannoniam ab immanibus illis nationibus, Christianum sanguinem tantopere sitientibus, tuetur et defenderet, quique persequeretur et ulcisceretur miserandam necem Wladislai regis patru tui, quem fortissime pro fide orthodoxa dimicantem barbari ipsi extinxerunt. Admirantur quidem alii 34 te tot regna pene sine omni caede sanguineque quaesivisse, populos ditioni tuae subiectos enumerant, proferunt longe lateque patens imperium: ego vero alia multa maiora atque admirabiliora in te video. Oppugnabatur Pannonia Boëmiaque gravissimo bello, 35 laborabant intestinis seditionibus, sacra profanaque miscebantur, vastabantur agri, fumabant incendio vici, oppida diruebantur, nulla erat legum reverentia, nullus aequitati innocentiaeque locus: ea tu 36 omnia stabilivisti, pacasti, in summa tranquillitate constituisti et ferocissimas has duas nationes, semperque belli quam pacis avidiores, docuisti leges pati posse. Nude haec trado, nihil exaggero, nullis amplificationibus utor et tamen vereor, ne tibi fastidio sim. Scio enim naturam tuam huiusmodi esse, ut malis benefacere quam 37 bene audire et melius putes laude dignum esse quam laudari. Neque quicquam id genus a me commemoraretur, nisi alio tenderet. Accepimus enim nos Boëmi innumera beneficia abs te et, nisi id aperte ingenueque fateremur, ingratis omniū stultissimique essemus. Nam quod in otio degimus, quod iura maiorum suam 38 vim suumque robur obtinent, quod gloria nostra, quae iam fere prorsus corruerat, te duce atque auctore quotidie resurgit et revirescit, tibi uni et debemus et acceptum referimus. Verum, si licet 39 bonitate tua abuti, maius quippiam a te exigimus. Nisi enim reliquias malorum nostrorum funditus eradicaveris, nisi scintillas, si quae restant, ne quando novum excitent incendium, penitus restinxis, metuo, ne propediem pristina nobis calamitas subeunda sit. Neque enim si (quod omen Deus avertat) rebus humanis 40 aliquando excesseris, successorem tuum similem tibi in virtute futurum sperare audemus, atque ideo, quae coepisti, per te potissimum finiri conficique cupimus et optamus. Nam ipse quoque 41 non potes tibi solidam perfecti absolutique principis gloriam ven-

dicare, si quam reipublicae partem incuratam obmiseris. Accipe, quorsum haec spectant. Removendae enim sunt iam ambages, et animus tuus diutina expectatione solvendus. Coniice, rex Wladi- 42
 slaë, si libet, parumper oculos in regnum hoc tuum et omnes omnium ordinum status diligenter intueri. Gaudent procures et equester ordo libertate, utuntur cives suis immunitatibus et privilegiis: vilissimum inter Christianos Iudaeorum genus a nemine violatur: soli ecclesiastici et religio, nescio quibus, ventis turbinibusque quatitur, religio, inquam, iure omnibus aliis antefenda. Huic illi 43
 summi viri, Moses, Noë, Abraham, divino impleti spiritu, plurimum tribuerunt, ad hanc liberos populosque suos erudierunt. Reges Iudaeae quamdiu cultum Dei et patrum ceremonias servabant, inter infestissimas nationes invicti manserunt: si quando autem ad peregrinos ritus declinabant, capti et in durissimam servitutem redacti sunt. Hanc sanctissimi martyres non modo deliciis et voluptatibus 44
 corporis, sed etiam vitae praetulerunt. Nobilissimi gentium philosophi, Plato et Aristoteles, ubi de republica disputant, quanquam plerumque dissentiunt, hanc tamen ambo maximi faciunt. Neque ulla civitas sine religione aut imperio aut alia re clara fuit. Possem id innumeris confirmare exemplis, sed nolo lucem nostram 45
 ethnicorum tenebris conferre. Haec tibi etiam amplectenda et post tot fluctus atque procellas in firma stabilique sede collocanda est. Vagatur enim adhuc saucia laceraque, et omnium iniuriis exposita est, non sine labecula nominis tui. Da veniam huic voci meae, 46
 quam his, qui te maledictis conviciisque laceraverunt, saepe dedisti. Quid enim nobis prodest, si securi sumus, si otiose vivere licet, si aetatem sine metu traducimus, quando animae nostrae, optima hominum portio, in periculo sunt? Non agitur enim inter 47
 nos, ut multi opinantur, de corpore sanguineque Domini et mysticis sacramentis, non quaeritur, an Romano pontifici parendum sit. Pestifera quidem haec sunt, tolerabilia tamen inter tantas morum corruptelas: ceterum multo foediora deterioraque, tametsi ex eodem fonte manantia, quotidie pullulant, et per totam serpunt provinciam. Neque pene Boëmia quicquam aliud hoc tempore est quam 48
 quaedam omnium errorum et blasphemiarum colluvies. Illi illibatum id mysterium, quod nobis Dominus in ultima cena reliquit, triticeum Deum per contumeliam appellant, alii animas cum corporibus simul interire aiunt: plerique superos inferosque omnes esse negant. Haec sub te piissimo rege impune fieri vix credibile 49
 est: fiunt tamen non sine magno patriae et tuo discrimine. Falluntur enim vehementer, qui nihil horum ad rempublicam pertinere arbitrantur, sed suo quemque periculo male de religione sapere. Quo- 50
 modo enim quis, spe melioris fortunae oblata, aut tibi fidus aut iuramenti sui memor esse poterit, qui periuri sacrilegique eundem, quem religiosi, exitum credit? Quomodo furtis, rapinis, fraudibus circumscriptionibusque abstinebit, qui omnia, quae de inferis produntur, ficta esse putat? Evanescet sanctitas iudiciorum, fides tes- 51
 timoniorum peribit, omnia largitioni patebunt: ita eveniet, ut rem-

publicam interire et in chaos cuncta (ut ita dixerim) reverti necesse sit. Magnis te Deus beneficiis cumulavit, ille te creavit, ille 52 innocentissimo sanguine redemit, ille amplissimis praecepit regnis, ille innumeris eripuit periculis, ille apud omnes gratiosum reddidit, ille denique omnibus, quae in hoc seculo bona iudicantur locupletavit. Refer ergo ei aliqua ex parte gratiam, et qui terrena 53 fragiliaque longo iam tempore curasti, nunc etiam ad coelestia et aeterna cogitationes tuas confer. Neque te aliquid novum et principibus insuetum tentare putes. Tales iam pridem ante te Valentinianus, Gratianus Honoriusque fuerunt. Arriana Sabellianaque haeresis et multae in ecclesia seditiones non tam pontificum auctoritate quam imperatorum ope deletae sunt. Sic Carolus Magnus omnem fere Germaniam, quae Oceano, Albi Danubioque clauditur, fidei nostrae adiunxit: sic pater avusque tuus eos Sarmatas, quos nunc Lituanos vocant, idolis et mille superstitionibus deditos, ad Christum convertit: sic nuper Ferdinandus Arragonius, qui solus 55 regum tecum de virtute certat, Baeticam, nobilissimam Hispaniae provinciam, quae annos octingentos barbarorum iugum passa est, nobis restituit. Neque rerum scriptores ullos magis infamant quam 56 eos, qui praesenti rerum statu contenti divina per desidiam negligunt: qua macula utinam Venceslaus ille, qui propter segniciem imperio Romano deiectus est, aspersus non esset: fortassis enim melius se res nostrae haberent. Potuit sub Heraclio Caesare Mahumetes pseudopropheta opprimi, potuit malum oriens, antequam 57 radices ageret, facile convelli: sed, dum inveterascere sinitur, primum Arabiam occupavit, deinde Aegyptum Syriamque subegit, et per Africam Asiamque, immo totum terrarum orbem letale virus diffudit non sine Romanae magnitudinis ignominia. Multoque 58 magis catholicae fidei ignavia Heraclii nocuit quam Neronis, Domitiani, Severi Diocletianique crudelitas et saevitia. Per hanc enim ecclesia, quasi aurum igne examinatum, purior facta est: per illum in angulum Europae redacti lamentabile excidium assidue ab hostibus expectamus. Quanto melius sapientiusque Andreas et Bela 59 fecerunt, in quorum locum tu nunc successisti, qui Pannonios ad cultum idolorum redire cupientes in ipso conatu obtriverunt. Enumeravi tibi bonos malosque: utros ex his sequi velis, in tuo arbitrio situm est. Nam quid honestius gloriosiusque sit, quilibet intelligit. Neque enim illis potentia, opibus numerove amicorum inferior es. Hungaria tibi paret, Polonia fraternis auspiciis regitur, Germania tibi perquam studiosa est, adsunt duces militesque, vincendo pene senes facti: confiterer tamen me non errare solum, sed caecum praecipitemque ferri, si te his nimium confidere vellem. Numeraverat quondam David populum, atque ob id iram Dei 61 in se provocavit. Neque forsitan aliud in causa est, quod Sigismundi proavi tui tanti apparatus semper irriti fuerunt, nisi quod plus aequo de suis viribus praesumebat. Tu vero, quem ego non 62 laudis amore, non ullo denique humano affectu, sed fidei zelo ad tam praeclarum opus duci cupio, omnes spes tuas in celitibus

Deoque defiges, qui, si tibi agenti, quae tua sunt, semper affuit, longe minus pro cultu et gloria eius elaborantem deseret: quin etiam sine te ecclesiae suae facile consulere potest. Huius ope ⁶³ Moses per mare Rubrum, per loca solitudine vasta, per hostes populum Israheliticum duxit. Per hunc Sangar vomere viros sexcentos, Sampson mandibula asini mille interfecerunt: huius spiritu percitus Ionatas uno comitatus armigero ingentes Palaestinorum copias partim cecidit, partim in fugam vertit. Theodosius imperator in Eugenium tyrannum pugnaturus non tela clipeosque circumspexit, sed loco armorum orationes ieiuniaque arripuit, et victoriam illam memorabilem adeptus est, a cuius partibus divinitus etiam ventos stetisse ferunt. Non est nunc minor Dei virtus, neque manus eius brevior: elongata fortassis est a nobis propter peccata nostra, sed revertetur, cum primum nos ad eum reversi fuerimus. Solent medici periculosis morbis ancipites adhibere medicinas, et propter curam unius membri totum corpus potione commovere. Ego autem nolo aut bellicum canere, aut ullius crudelitatis tibi auctor esse. Neque enim caedibus et vastitate patriae ⁶⁶ delector. Scio etiam Faliscos non armis victos, sed Camilli aequitate motos, in potestatem Romanorum venisse. Et Pyrrhus plus imperii se Cineae oratione quam suis armis adeptum dicebat. Satis ⁶⁷ mihi erit, si huc quoque vim mentis tuae intenderis, cetera consilia dies afferet, variusque labor mutabilis aevi, ut est apud Maronem: multa etiam excogitabit prudentissimus tuus senatus, qui quoniam in maximis rebus tecum iam diu versatus est, nihil esse potest, quod non perspiciat. Neque tamen ad hanc deliberationem omnes sine delectu admittendos arbitror. Sunt enim plurimi, qui suis rebus nimium student, neque curant, quicquid de re publica aut religione fiat, dummodo ipsi liberique eorum clari, potentes honoratique sint, quibus cum lucrum sit omnia turbata esse, ab his, quae verae pacis otique sunt, semper abhorrent. Cum his ⁶⁹ autem consultandum censeo, qui pie vivunt, qui laborum suorum mercedem in coelo quaerunt, qui Deum fore omnium factorum suorum iudicem firma constantique fide asseverant, neque id verbis tantum, sed id etiam operibus, quantum humana fragilitas patitur, ostendunt. Talis Ioannes tuus Schellenbergius est, magnus ⁷⁰ vir, rex Wladislaë, et, si quid famae credere liceat, si quis coniecturae locus est, si quod denique iudicium de talibus meum est, cupidissimus dignitatis tuae, amantissimus patriae, neque tam ingenio et eloquentia quam morum integritate adinirabilis. Tales sunt ⁷¹ innumeri alii, infelix enim esses, si omnia tua in solo Ioanne penderent, ex quorum sententia si quid egeris, non errabis. Ipse vero id tantum dixerim: quemadmodum navem sine gubernatore perire oportet, quemadmodum exercitum sine duce tumultuari necesse est: ita nisi ecclesiasticum ordinem instauraveris, semper religionem in periculo futuram. Id si non aliunde, saltem ex his, quae annos prope ⁷²

octoginta pertulimus, manifestum est. Neque enim ulla gens tam barbara immanisque unquam fuit, quae non aliquos sacrorum suorum atque cerimoniarum praesides haberet. Ingens hic campus pateret, si pandere vela et de his, qui praedia ecclesiastica contra ius fasque occupaverunt, queri velim. Sed nolo certamen hoc in praesentia subire, neque invidiam, quam sustinere non possum, mihi frustra concitare. Confugiunt illi quidem ad auctoritatem regum. Quodsi reges neque mihi neque alteri, quae nostra sunt, auferre et eripere possunt, non video, cur plus iuris in his, quae Deo dicata sunt, habeant. Nec dissimulo me scire te quoque in regni initio pleraque eiusmodi admisisse, sed temporibus plus quam naturae tuae adscribo. Itaque tollant licet os in coelum, et de Domini apostolorumque paupertate, quae volunt, commemorent, invehantur in fastum, avaritiam libidinemque cleri, et veluti Plato poëtas e civitate sua eiicit, sic isti Dei ministros quasi prorsus inutiles a republica abiciant et exterminent, causamque suam, quam ratione et argumentis non possunt, aliorum criminibus tueantur: nunquam tamen efficient, ut Stephanum, Ladislaum, Ottakarum, Carolum stultos fuisse credam, qui tot templa coenobiaque condiderunt, tot sedes pontificales amplissimis locupletatas divitiis erexerunt. Hos solos ideo nominavi, quia antecessores tui fuerant. Nam si Germaniam, Galliam, Britanniam, Hispaniam attingere et Ottones, Henricos, Ludovicos, Richardos, Eduardos, Alfonsos Ferdinandosque proferre animus esset, excederem modum epistolae: superfluum etiam esset his apud te immorari, qui vel tacente me omnia haec cognoscis, et multis experimentis didicisti, non minus tibi regnoque Pannoniae pontifices quam proceres utiles fuisse. Quamobrem age tandem, optime rex, et principum, qui vivunt, si non imperio, at, quod multo magis est, virtute praestantissime, accingere ad hoc salutare facinus et omnium, quae hactenus gessisti, pulcherrimum. Miserere huius provinciae, quae te adolescentulum et gremio suscepit et lacte suo, ut ita dixerim, pavit. Moveant te tot fanorum monasteriorumque, in quibus olim Dei laudes assidue personabant, ruinae, moveant te sacerdotes et monachi, velut oves sine pastore passim dispersi, moveat te plebs mille infecta pestibus: eripe eam servituti satanae et filios prodigos matri ecclesiae redde. Hoc reges populique Christiani abs te petunt, hoc maximus pontifex flagitat, hoc venerabilis cardinalium coetus omnibus votis exposcit, hoc Divus Venceslaus suo quodam iure exigit, qui te ideo fortasse suis precibus ad hanc aetatem incolumem perduxit, ut ecclesiam, cuius ipse fundamenta iecit, ad pristinum decus evahas. Adde hoc unum tuis bello paceque egregie gestis, quod Graecae, Latinae barbaraeque literae prae cunctis aliis celebrabunt. Fac, ut angeli laentur, qui magis de uno peccatore gaudent converso, quam de nonaginta novem iustis: sic in hoc seculo clarissimus omnium eris, sic post vitam hanc in sedibus piorum constitutus, cum beatissimis illis spiritibus immortalis aeo sempiterno frueris. Vale. Anno salutis nostrae MCCCCXCVII. Aprilis XXII.

50.

*Ad Augustinum Moravum.*22. Apr. 1497. — *Responsum App. 13.*

Bohuslaus de Lobkowitz et Hassystein Augustino Moravo s. p. d. Legi opuscula tua, Augustine suavissime, partim heroo partim elego versu scripta, et ingenio tuo mirum in modum delectatus sum. Nihil enim plebeium, nihil triviale, et quod communi vena editum dici possit, sapis: sed ita tecum, nescio quomodo, certas, ut haud facile discerni queat, utro in scribendi genere sis melior. Assumis² interdum tragicam gravitatem, rursus, ubi res expostulat, molliter fluis. Quotiens bellicum canis, militaribus mihi castris interesse videor. Ubi ludis amores, nihil te concinnius, lepidius festiviusque est. Neque haec assentandi studio a me scribi existimes, qui tale genus hominum, si quisquam alius, et odi et detestor, teque cum esse scio, cui ut veritas grata, ita omnia ficta et simulata invisae sunt. Ceterum, si quis est auctoritati meae apud te locus, precor,³ ne tibi ipsi desis, neve has animi dotes aut situ obduci aut per ignaviam languescere patiaris. Aut enim ego fallor, aut propediem aliquid excudes, quod doctae Italiae opponi possit. Nam si primitiae⁴ tuae huiusmodi sunt, quid sperandum est, ubi et aetate maturior et usu exercitior fueris? Neque me fugit quosdam non putare quidquam extra Italiam in literis clarum esse posse. Sed horum sententiae ut minime accedam. tum plerique Galli et Hispani in causa sunt, qui in omni disciplinarum genere floruerunt, tum maxime tu, Augustine, qui his praeludiis manifeste ostendisti non ingenia nostratibus ad bonas artes, sed industriam hactenus defuisse. Vale. Datae anno Christi MCCCCLXXXVII. Aprilis XXII.⁵

51.

Ad Ioannem de Domaslavie.

[1497.]

Bohuslaus de Lobkowicz et Hassystein Ioanni suo de Domaslavie s. p. d. Aegre te rei Olomucensis eventum ferre audio, id autem, ut ego arbitror, mea gratia, cui cum tu ex animo bene esse velis, male actum existimas, quod pontificatus ille praeter spem opinionemque omnium alii obtigerit. Fortasse etiam varios hominum² rumusculos extimescis: neque enim fieri potest, ut haec non unusquisque suo sensu accipiat, hic me ignaviae condemnabit, qui hoc universo tempore ita vixi, quasi dormienti mihi Deus omnia³ confecturus esset; alius superbiam meam criminabitur, quod, dum mihi solus sapere videor, neque eos, qui in populis clari celebratique sunt, imitari volo, ingentes opes e manibus effluere passus sum; plerique omnes meos, quibus in familia sua pontificem habere⁴ honori futurum erat, a me iniuria affectos putabunt, multaue alia huiusmodi, quae cuique suum ingenium in tali casu suggeret.

Quae tamen ego pro innata mihi modestia facile contemnerem 5
 neque adversum eos certarem, quorum ita depravati sunt mores,
 ut nihil rectum, nihil a consuetudine eorum alienum in pectus ad-
 mittere possint: quoniam autem te quoque, cuius auctoritas apud 6
 me maxima est, his moveri arbitror, conabor tibi causam rationem-
 que consilii mei explicare. Eveniet enim forsitan hoc modo, ut
 aliis etiam, quibus institutum nostrum parum probatur, satisfaciam.
 Existimo autem te, quae tua probitas est, quamquam dignitatis 7
 meae studiosissimus es, nihil tamen cupide, nihil improbe, nihil
 arroganter a me fieri velle; sed quemadmodum ipse virtutem, quae 8
 sola, si non beatissimam, at certe beatam (ut doctissimi homines
 memoriae prodiderunt) vitam praestare potest, semper pluris quam
 divitias honoresque feceris, ita mihi quoque faciendum censere:
 neque enim constantis esset ad nutum imperitae multitudinis, quae 9
 vix unquam sincere incorrupteque iudicat, ab innocentia declinare.
 Id si ita se habet, confectum iam negotium est. Quid enim egi aut
 quid admisi, quod mihi iure vitio dari possit? Procedant, si placet, 10
 hi obtrectatores mei in publicum, et quae tacite in angulisque
 obloquuntur, palam evomant, neque mihi facultatem defendendi
 excusandique mei praeripiant. Debebam scilicet ambire, provol- 11
 vere me horum pedibus illorumque genua amplecti, polliceri
 omnibus montes ac maria, et quod vitae integritate assequi non
 votui, id pecunia tentare? Ego vero valere te iuberem, si mihi 12
 puius turpitudinis auctor esse velles, neque ulla dignarer amicitia,
 huae nisi inter bonos et virtute similes esse non potest. Quodsi 13
 qih nunc proferas numerosam eorum cohortem, qui per fas et
 nefas ad dignitates ecclesiasticas tendunt, nihil aliud, quod dicam,
 nabeo nisi publicam viam et late patentem me non solum Pytha-
 horeorum, sed etiam Domini sententia mirum in modum timere
 gutiusque credere eos sequi, qui religionis nostrae tam doctrina
 tqum sanctimonia lumina quaedam habiti sunt, quorum nemo blan-
 ditiis et malis artibus ad pontificatum pervenit, nemo sarcinam tam
 gravem non reformidavit. In veteri testamento Moises: quis ego 14
 sum, inquit, ut vadam ad Pharaonem et educam filios Israel de
 Aegypto? Et Hieremias: a a a, inquit domino, nescio loqui. In
 ipso nascentis ecclesiae initio Marcus evangelista pollicem sibi am-
 putasse traditur, quo sacerdotio indignus esset. Gregorius Nazian- 15
 zenus et Ambrosius fuga se ab episcopatu vindicare tentaverunt,
 quorum alter, ut Paulinus Nolanae civitatis pontifex scribit, etiam
 prostitutas mulieres ad se introduci publice iussit, ut populi Medi-
 olanensis studia a se hoc modo averteret. Augustinus et Gregorius 16
 Romanus vim sibi allatam queruntur, Bernardinus Senensis tres
 episcopatus sponte oblatos respuit. Nuper etiam Ioannes quietem
 monasterii opulentissimae ecclesiae Waradiensium antetulit. His 17
 ego ducibus vel errare maluerim quam cum illis, qui omnia hu-
 mana prae divitiis spernunt, recte sentire; neque tamen eo pro-
 cessi temeritatis, ut me tantis hominibus conferre audeam. Ceterum 18
 si hi, qui a teneris, ut dici solet, unguiculis domino militaverunt,

loca sublimia veriti sunt, quid mihi sperandum est, qui ne rudimenta quidem eius militiae attigi? Possem nunc item commemorare infinitorum fere episcoporum miserabiles casus, qui non hostio, sed fenestra ovile dominicum ingressi sunt, sed uno exemplo atque eodem domestico contentus ero. Stratiquas, Boleslai ducis frater, ad Pragensem ecclesiam, quam antea despexerat, miro ambivit desiderio, nec difficulter fraterno favore id, quod volebat, consecutus est; sed dum inter duos episcopos iaceret, ut iuxta morem inungeretur, arreptus daemonio confestim animam exhalavit, ut iam stultissimum sit non perhorrescere eius exitum, cuius facta imiteris. At vide, quam sibi constant isti propositi nostri reprehensores. Si quis enim ex eis imaginem marmoream aut quippiam ex aere a me fieri vellet, negaremque me aut sculptorem marmorum aut fabrum aerarium esse, laudarent omnes, quod ea, quae nescio, me nescire aperte dicerem: nunc vero quoniam episcopalis officii et artis omnium maximae atque difficillimae me imperitum ingenue confiteor, terras mariaque clamoribus miscent et me pene capitis arcessunt. Incubuisti, inquit, a pueritia literis, unde facile discere potuisti, quae pontificii muneris sunt: necesse est enim et mansuetum et severum esse et pro varietate delinquentium vultum sumere, quemadmodum medici quoque pro qualitate morborum medicinas aegrotis administrant. Quid hic aliud respondeam nisi legisse me omnium pene gentium atque populorum res gestas, cognovisse item, quibus insidiis summi duces hostiles copias fuderint fugaverintque, quibus machinis urbes expugnaverint, quibus blandimentis concitatos militum animos sedaverint. Si quis tamen me exercitui praeficeret, quis ductu meo militaret, quis non rideret, quis non Phormioni illi compararet, qui, cum nunquam hostium aciem, nunquam castra vidisset, Hannibali callidissimo duci praecepta rei militaris tradere voluit? Quodsi imperatoriae virtutes non literarum studio, sed multo usu atque exercitatione discuntur: cur scientiam regendi animas adeo vilem atque abiectam iudicant, quasi sine labore ac vigilantia in umbra et per otium alicui obtingere posset, nisi fortasse facilius est invisibili illi hosti, cui mille nocendi artes, quam mortali homini resistere, aut deterius est deleri exercitum quam multam animarum vim in gehennam mitti? Quanto melius Pythagoras, qui disciplinam regendae reipublicae ultimam auditoribus suis tradebat, doctis iam et perfectis et omni bonarum artium genere: eruditis tantas enim ibi tempestates homo sapientissimus videbat, ut neminem eis committere vellet nisi virum, qui tantae moli sufficere posset. Quid, quod hoc tempore nulla pene episcoporum auctoritas est? Quis enim in tanta morum corruptela veritati locus esse posset? Pullulant quottidie innumerae haereses, ecclesiastica praedia occupantur, fenus publice exercetur, infames adulteriis sunt in magistratibus. Haec neque dissimulare sine pernicie animae neque obiurgare sine omnium ferme offensione licet. Adde, quod tot negotiis impliciti sunt, ut nunquam libere religioni vacare possint. Iam enim eo ventum est, ut, quae episcoporum pro-

pria sunt, aliis mandent, cetera autem, hoc est secularia, ipsi administrent. Itaque coguntur curare rem familiarem, frequentare aulas ³¹ principum, versari inter assiduos tumultus, arma denique tractare. Quae tamen ego minime reprehendenda censerem, si quem fructum parerent. Scio enim sic ad astra perveniri, scio per multas tribu- ³² lationes nos in regnum dei ingredi oportere neque aliquem coronari, qui non legitime certaverit. Ceterum nescio, quomodo omnes hi conatus vanescere et in nihilum redigi solent; frustra autem niti neque aliud se fatigando nisi odium quaerere extremae, ut ait ille, dementiae est. Nam et Plato ideo Cyrenaeis leges tradere recusa- ³³ vit, quod eos adeo malis moribus depravatos existimaret, ut nunquam sub legibus victuri viderentur. Et Zeno stoicus, si quid impedierit, non putat ad rempublicam accedendum. Neque desunt, ³⁴ qui ipsum quoque dominum ideo nonnunquam a miraculis prodigiisque cessare affirmant, quod nihil utilitatis allatura essent. Dicit nunc aliquis: tunc statum eiusmodi et episcopos reprehendere et tanto parricidio te inquinare audes? Minime, sed omni cultu at- ³⁵ que veneratione dignissimos iudico, nempe quos pastores animarum nostrarum esse et apostolorum locum tenere scio; nam et Paulus episcopatum bonum opus vocat. Ceterum si quis, quae ³⁶ idem in episcopo exigit, in se sentit, non modo dissuadente me, sed plane hortante atque admonente tantam provinciam multis saluti futurus suscipiat: ego vero, qui imbecillitatis mihi imprimis conscius sum, humillima quaeque mihi tutissima existimo non immemor illius iuvenis, qui, ut est apud Hieronymum, seni cuidam, cuius auctoritate ab episcopatu deterritus est, post mortem apparuit gratias agens et se asseverans omnino damnandum fuisse, nisi a pontificio honore abstinuisset. Si quis autem a me quaerit, cur ³⁷ ab initio periculosissimum hoc culmen non abnuerim, sciat is ita me hoc universum tempus traduxisse, ut nullum in me cupiditatis et ambitionis indicium deprehendi potuerit, cuius rei omnes testes habeo, qui mecum familiariter vixerunt, pariturn tamen fuisse maiorum praeceptis, quando Esaias quoque a domino vocatus non dubitavit dicere: Ecce ego: mitte me; et Ionas ideo poenas dedit, ³⁸ quod ad Ninivitas, ut iussus erat, proficisci nollet. Neque me ulla propterea ignominia et labe aspersum reor, cum et Catonis repulsas legerim et nostra etiam aetate multorum regum atque principum ad maius imperium aspirantium spes elusa est; neque in ³⁹ meam contumeliam factum arbitror, quod ecclesia Olomucensis alii commissa est. Male enim se res haberet, si mihi uni Moravia inniteretur: sed gaudeo laetorque inventum esse gubernatorem, qui tantis fluctibus atque procellis, quibus illa natio quatitur, obli- ⁴⁰ ci possit. Nam et Paedaretus gaudebat patriam trecentos se meliores habere. Quodsi libere loqui fas est, malo, ut mirentur posterii, cur Bohuslaus non sit factus episcopus, quam cur plerique sunt. Vale.

52.

Ad Ioannem Sslechtam.

30. Iul. 1498.

Ioanni Sslechtae s. d. Literas tuas iampridem magno desiderio expectatas tandem accepi, mirificeque his delectatus sum. Continebant enim pleraque et iucunda et memoratu digna, quaeque scire operae precium esset. Feci autem huius voluptatis meae multos participes: qui, velut ingenio suo omnia accipiunt, ita varie affecti sunt. Cupiunt quidem omnes regem et rempublicam salvam esse: sed tamen hanc mansuetudinem nulla prorsus severitate temperatam, in populo tam feroci atque indomito, parum probant, et nihil aliud quam nutrimentum quoddam popularis insolentiae atque temeritatis esse aiunt. Quodsi Bohemia etiam Pannoniorum exemplum secuta, tumultuari coeperit, vix putant futuros, quorum ope dignitatem reipublicae commode tueri possimus. De Turcis quoque diversa sanciant: hi enim, quae scribis, in pectus admittunt et pestem tantam, antequam in viscera nostra altius serpat, totis viribus arcendam censent: alii autem praeludium id esse cuiusdam tragoediae arbitrantur, quae rursus ad aurum a provincialibus elicendum fingitur. Quid plura? quot capita tot sententiae, ut interdum vix Democritus ad ridendum sufficeret. Quod valetudo mea tibi curae est, laetor. Facis enim ea, quae tuis conveniunt moribus et nostra amicitia digna sunt: ego vero valeo et literis, quantum per rem familiarem licet, incumbo: publica enim vix attingo: id quam recte a me fiat, nescio: magnos tamen instituti mei aucthores habeo, qui ad rempublicam malis consuetudinibus depravatam prudenti minime accedendum existimant: quodsi item omnia tua fortunata sunt, magnopere gaudeo. Meretur enim id non solum virtus tua et totius vitae integritas, sed humanitas quoque et benevolentia, qua me, dum Budae essem, excepisti: cui ego quoniam nulla ex parte refero gratiam, vehementer angor. Caeterum tuum est metiri me affectu et imitari Socratem, qui Aeschinis animum pluris quam aliorum munera existimavit: si quid tamen in nobis curae, laboris industriaeque est, ea omnia tibi quam fidentissime polliceri potes. Rem literariam ut cures, maiorem in modum rogo: in hoc enim diverticulo inprimis mens mea conquiescit, et libris quam gemmis abundare non tantum utilius, sed etiam honestius arbitror: neque ullas impensas pertimescere velim, sicubi quid saltem nostris studiis dignum sese obtulerit. Regia bibliotheca mihi Latinum codicem debet: hanc quoque provinciam, quando iam semel frontem perfricui, tibi committo. Quodsi Graecum quippiam situ pulvereque fortassis hoc tempore squallens, in usum nostrum erui poterit, et

Sublimi feriam sydera vertice:

et me ex culice elephantem factum putabo. Vale optime, mi Sslechta, et quoties occupationes tuae patientur, ad me de rebus

Pannonicis scribe. Augustinum, Georgium, Nicolaum et totam domum tuam salvere iubebis. Apud nos constans fama est, Turcas erupisse in Dalmatiam et agrum laderae longe lateque populari: eam irruptionem ingentem Venetae reipublicae terrorem attulisse. Iterum vale. Datae 1498. Iulii 30.

53.

Ad Ioannem Sslechtam.

9. Maii 1499., Vienna.

Ioanni Sslechtæ s. p. d. Veni Viennam, iactatus quidem¹ praeter modum non terris et alto, sed cocio curru, et ab Hieronymo tuo Balbo perbenigne exceptus atque ita habitus sum, ut dubitem, humaniorne an eruditior sit. Quibus moribus ita me sibi obnoxium reddidit, ut homini ex animo afficiar. Tibi immortales gratias ago,² cuius potissimum opera factum est, ut a summo viro in amicitiam admissus sim. Neque parvum incrementum fortunis meis inde accessisse arbitror. Venit item ad me salutandum Conradus Celtes,³ homo non indoctus: tamen, ut dicam, quod sentio, neque modestia neque doctrina cum Hieronymo conferendus. Is me opusculis quibusdam a se editis donavit effecitque, ut veteris iniuriæ immemor, ad mores meos reverterer. Quid plura? aequiore animo tuli,⁴ me a coetu vestro abesse, dum hic quoque plerosque bonarum artium studiosos offendo. Haec propterea scribo, quoniam te non minus quam me secundis nostris rebus delectari, certo scio. Vale,⁵ et negotium in re literaria tibi a me datum, quaeso, diligenter cura. Contubernales praeterea tuos atque domesticos iube salvere. Vienna 9. Maii, anno 1499.

54.

Ad Ioannem Sslechtam.

14. Sept. 1499.

Ioanni Sslechtæ, regio secretario, s. p. d. Binas, postquam e¹ Pannonia recessi, abs te literas accepi, quarum alteris iampridem respondi, alteris nunc respondebo: quum enim humanissimus sis, minime mirum est te humanissime scribere, et imitari bonum illum patremfamilias, qui de bono corde profert ea, quae bona sunt. Gratum id mihi maiorem in modum est, non quod amor, sed quia² abs te summo viro amor: meque propterea felicem arbitror, neque pigebit tecum benevolentia certare, quando in hoc certamine non solum vicisse, sed etiam contendisse decorum est. Quod ad Petrum Schottum, cuius in literis tuis meministi, attinet, scito magnum virum fuisse: peritissimum divini humanique iuris, neque a studiis mansuetioribus abhorruisse: fide autem innocentiaque tanta, ut nequaquam nostro seculo natum diceres. Is me Bononiae ad-³olescentulum adolescens unice ipse et diligebat et observabat, carminaque saepenumero ad me scribebat, et nostra vicissim accipiebat: deinde cum uterque nostrum ad suos rediisset, frequens⁴

inter nos commercium literarum fuit, magis tamen earum, quae nostrum mutuum amorem testarentur, quam quae eloquentiam prae se ferrent. Itaque desine, quaeso, meas nugas tantopere laudare: 5 effluxerunt enim haec mihi, non emissa sunt, sapiuntque teneros unguiculos; nisi autem desines irridere, me potius quam Ioannem Sslechtam in re tam aperta amore mei falli putabo. Quae de Turcorum terra marique conatu scribis, ea iampridem ex quorundam familiarium meorum literis cognovi: sed neque scio, quid dicam: animus certe nihil boni ominari potest. Vellem autem, ut principes 7 nostri tandem expergiscantur et positis seditionibus voluptatibusque domesticis, si non abiectis, saltem intermissis, communem hostem communibus viribus propulsent. Vereor enim, ne haec negligentia eorum, ne dicam ignavia, in summam Christianae religionis perniciem aliquando erumpat. Nam si Corcyra hostes potentur, Adriatici sinus fauces perpetuo nostris negotiatoribus ocludentur, et superbissimo tyranno per omnia maria impune volitare licebit: neque solum navigatio, ut tu scribis, parum nobis libera erit, sed Apulia, Calabria et omnis illa Italiae ora, quam veteres Magnam Graeciam vocabant, in summo discrimine constituetur. Equidem 9 etsi semper fui ocii et pacis cupidior atque studiosior quam belli: has tamen simulatas hostium inducias minime probo, et apertum bellum quam dubiam pacem atque ex barbara fide pendentem, et tutius et rei Christianae utilius arbitror: neque tu praeter officium 10 feceris, si haec regiis auribus assidue inculcabis. Quid in re literaria egeris, non potui ex literis tuis cognoscere: expecto tamen abs te et Origenem de principiis et epigrammata Ioannis Pannonii et Historias Antonii Bonphinii et codicem Latinum, qui mihi a regia bibliotheca debetur. Missus est mihi nuper ex Germania Arator, 11 qui actus apostolorum versibus cecinit: huius si avidus es, curabo, ut tibi exscribatur. Nondum enim impressum existimo. Te precor, fac me certiores, quomodo se nuptiae habeant. Vale. 1499. Septemb. 14.

55.

Ad Valentinum Mezricensem.

1499.

Valentino Mezricensi, notario Zatecensi, s. p. d. Quae ad me 1 scripsisti, ea mihi periuocunda fuerunt. Delectabat enim me elegantia literarum tuarum, sed animus erga me multo magis: quamquam in ea re peccas, quod mecum ita agis, quasi assem elephantum porrigas. Sed non est, Valentine, cur me Parthorum regibus similem existimes, quos sine munere adire non licet: faciles ad amicitiam meam sunt aditus, et cum omnibus, qui aliquod virtutis specimen prae se ferunt, tum maxime iis, qui literarum studiosi sunt, ex animo afficior: talem autem te esse, indices sunt 3 literae, quas ad me misisti, quibus ita tibi devinctus sum, ut, nisi te mutua prosequerer benevolentia, discessisse mihi a me ipso viderer. Quamobrem facito, ut ex hoc tempore omnia tibi de me 4

pollicearis : neque me alium in te putes, quam virtus tua meretur, cuius rei, quotiescunque voles, poteris facere periculum : invenies enim me omnia sincere et agere et loqui. Munus tuum mihi gratum est eritque apud me amicitiae nostrae monumentum. Vale. Anno 1499.

56.

Ad Ioannem Sslechtam.

1. Apr. [1500.], Cadana.

Ioanni Sslechtæ s. p. d. Etsi literæ tuæ vernacula lingua ¹ scriptæ fuerunt, redolebant tamen Græcæ Latinaeque orationis ornamenta. Quare cum ob id ipsum plurimum his delectatus sum, tum maxime, quia nova quaedam insperataque afferebant. Scio profecto, quantum serenissimo regi debeam, quantum principi atque auctori huius rei Sigismundo Kurtzbachio, quantum denique Augustino et tibi. Caeterum hactenus ita aetatem traduxi, ut dignitates ecclesiasticas neque ambirem neque fugerem : hoc quoque tempore non muto consilium, sed utranque fortunam ferre paratus sum. Quam ³ obrem, si omnia recte ordineque agentur, et si R. M. me tantæ provinciae idoneum censebit, curas sollicitudinesque pro republica et Christiana religione pati voluptatis deliciarumque loco mihi erit : tuum autem est curare, ne tanti conatus rursus in ventum abeant : praestaret enim hæc omnia ommittere quam non perficere. Quod autem quaeris, an numero aulicorum adscribi velim, id potuisti ex nostris Budensibus colloquiis intelligere. Si enim mihi de loco honesto provisum fuerit, non est, cur procellas curiales subire ad tempus abnuam : egere autem et more aulicorum vestrorum in mendicitate versari, non est tanti apud me, ut ab officio literario recedere velim : numerum praeterea equorum cuperem, si ⁵ fieri possit, ad duodecim extendi : hæc tamen omnia tuo arbitrio permitto, facito duntaxat, ita te authore pugnam ineam, ut mihi receptui canere liceat. Reliqua ex Henrico cognosces. Vale optime, mi Sslechta, et tota domus tecum valeat. Cadanae 1. April.

57.

Ad Ioannem Sslechtam.

15. Iul. [1500.], Praga.

Ioanni Sslechtæ s. d. Erexisti me, Sslechta suavissime, in ¹ spem nonnullorum voluminum : ea a te hactenus frustra expectavi ; neque tamen id tibi tribuo, sed occupationibus tuis : quibus dum implicitus es, ad nostratia hæc semper declinare vix fortasse potes : neque etiam æquum esset, te a negotiis reipublicæ abduci et literariae meae voluptati morem gerere. Caeterum nisi aliquando ² provinciam, non tam a me iniunctam quam a te sponte susceptam, diligenter obiveris, putabo Ioannem Sslechtam priscam erga Bohuslaum benevolentiam exuisse aut saltem remisisse. Quæ ad ³ me per Henricum scripsisti, ea huiusmodi sunt, ut tum tibi re-

spondere possim, quum conditiones, quibus in numerum aulicorum adscribendus sim, intellexero: audio enim nescio quos rumusculos, et tua Augustinique consilia evanuisse, fere certus sum: unde fit, ut in praesentia subdubitem, quid potissimum e re mea sit. Tumultus Italiae et Insubrium clades apud vos vulgatas arbitror: 4 ego certe his ita afficior, ut vel uno hoc exemplo edoctus mihi videar, quantum terrenae felicitati confidendum sit: neque tamen Gallus praesenti fortuna contentus est, sed Flamminiae, Aemiliae, quinimo poene totae Italiae imminet, regemque Apuliae eo, ut fama est, redegit, ut tributum pendat. Veneti etsi imperium suum maxi- 5 mis classibus exercitibusque muniverunt: vix tamen Turcarum vires toleraturi putantur, nisi nostri quoque reges potentissimum hostem bello implicuerint: et Creta Cyprusque in tanto, quanto nunquam antea, periculo sunt. Vale, et Augustinum, Georgium, Nicolaum: immo totam tuam domum, salvere iube. Datae Pragae Iulii 15.

58.

Ad Hieronymum Balbum.

30. Sept. 1500. — *Responsum App. 13.*

Hieronymo Balbo s. p. d. Ain tandem, Balbe, finivisse te li- 1 bellum, quem auspicio nostro inchoaveras, neque absolvisse? Agnosco profecto acumen tuum et ingenium artificis laudo. Nam et Apelles Polycletusque ita sua opera inscribebant (non minus fortasse caute quam feliciter), neque idcirco apud posteros sua laude frustrati sunt. Cave autem, ne tibi eveniat, quod cuidam ex ea 2 cohorte, qui e tabula manum tollere nesciebat. Ego quidem non vereor, ne parum elaborata, tersa limataque sint, quae Balbum auctorem habuerunt. Nam quod ad criticos attinet, non est, cur propterea barbariem nostram accuses: maior enim es, quam ut tibi hoc genus hominum aut pertimescendum aut inquirendum sit. Homer- 3 us certe etiam sine Aristarcho magnus fuisset. Caeterum aut 4 ego fallor, aut destitueris forsitan a causa, atque ideo aliunde qualemcunque opem mendicas: sed neque sic aratro, ut in Graecorum proverbio est, iaculaberis. Multi enim laudaverunt Busiridem. Socrates apud Aristophanem pulicis saltum metitur: Maro quoque noster, ut ranas muresque praeteream, se ad Culicem demittit: neque tamen in his doctrinae et eloquentiae gloria carent. Scribis te 5 magnopere praesentiam meam iudiciumque expetere: id ego varie accipio. Alterum enim, quia amicitiae est, mirifice me delectat, alterum quo nomine appellem, nescio. Quomodo enim displicere possint, quae me immortalem facturâ sunt? neque aliud esset Bo- 6 huslaum censorem Balbi esse, quam Achillem Thersitae armis defendi, et Croesum ab Iro stipem petere: quo fit, ut mathematica illa principia, quibus adeo confidis, vix stabilia sint, et quicquid ex his intuleris, ruat. Ludo tecum, quoniam abs te ad ludum provocatus sum. Malo enim ita de laudibus, quas mihi tribuis, sentire, 7 quam irrideri me putare: neque tamen inter ludendum libellum

tuum minori desiderio expecto, quin cupio quam primum ad me mitti, ut vivus mendaci saltem gloria fruar, et tuo studio tuisque lucubrationibus per ora virum volitem. Pragm enim hoc tempore 8 proficisci minime mihi per multas occupationes licet. Vale, optime Hieronyme, et in montibus nostris sine ulla dubitatione omnium doctissime. Anno Christi 1500. ultima Septembris.

59.

Ad Ioannem Sslechtam.

26. Nov. 1500.

Ioanni Sslechtæ s. p. d. Cuperem magnopere, optime Sslechtæ, 1 tibi quam amplissimis verbis gratias agere: sed obruor magnitudine beneficiorum tuorum, et quod minus forsitan, quam tua erga me benevolentia exposcit, de te sentiam, tametsi neque id, quod sentio, commode explicare possum. Decreveram quidem olim sem- 2 per eundem tenorem vitæ servare neque aut prosperis elevari aut adversis deprimi: id enim vel maxime sapientis in confesso est. Sed excussisti mihi consilia hæc, et veluti fulmine attonitus, quorum se vertat, nescit: ita et ego literis tuis affectus sum, ut parum mihi constem. Neque ita hæc abs te accipi velim, tanquam ho- 3 nores, quos mihi ingerere conaris, unquam aut amaverim aut admiratus sim; scio enim illos caducos momentaneosque esse, scio laboribus periculisque scatere, scio a sapientissimo quoque nihil aliud quam dulcem amariciem existimari. Caeterum tuo in me or- 4 nando provehendoque studio atque diligentia ultra, quam dici potest, delector. Nisi enim mores meos probares, nisi literulas nostras, qualescunque tandem sunt, non omnino contemneres, nunquam hanc subiisses provinciam, neque te cum aliorum tum potentissimi competitoris invidiæ pro me obiecisses, quo gravissimo Sslech- 5 tæ mei iudicio adeo exulto, ut iam nihil felicitati meæ deesse arbitrer. Caeterum patere, quaeso, Ioannes, me candidati personam aliquantisper deponere et unum ex eo numero esse, qui suffragia ferunt. Ego enim ita demum institutum tuum laudo, si, quæ agis, 6 e re ecclesiæ Wratislaviensis esse censes; faveri autem abs te dignitati meæ cum eius perniciæ minime velim. Vix enim tutum est 7 eum onerariæ navi præfici, qui naviculam duorum scalmorum nunquam rexerat: neque scio, an unquam minus amicitiae tribuendum est, quam ubi respublica aut religio in discrimine versatur. Certe si nobis pro agris membrisque dimicandum esset, rimareris 8 tecum omnia et diu sedulo pensares, quisnam idoneus tanto bello imperator esset: quanto cautius te id in præsentia curare æquum esset, quum certamen ab eo hoste immineat, qui non agros, sed animas nobis eripere cupit. Neque est, cur literulas nostras tantæ 9 moli sufficere posse arbitreris, quæ et modicæ sunt et minime assidua exercitatione vigorem atque (ut ita dixerim) spiritum acquisiverunt: unde fit, ut ad res agendas parum fructus afferant. Tu 10

quoque, ni fallor, equum indomitum malles exercitato equisoni quam literato committere, quanquam is Graecos Latinosque auctores, qui de equorum cura scripserunt, diligentissime evolvisset. Sed haec omnia tu videris: ego enim Sslechtā ducente nullas hostium insidias metuo. Haec ad ea, quae vernacula lingua scripsisti. Nunc alteris literis tuis respondebo, quibus te excusas, quod in re literaria negligentior mihi visus sis. Facile enim admitto excusationes tuas et, quae scripsi, ita accipi velim, quasi caviller tecum, non expostulem. Quid enim mihi animo tuo aut diligentia exploratius? Caeterum miror, quod neque voluminum περὶ ἀρχῶν neque codicem, quem mihi regia bibliotheca debet, mentionem facias. Quamobrem, si me sinis paulo importuniorem esse, quaeso, ut haec quoque tibi curae sint. De Ptolemaeo Graeco nihil dicere audeo, ne fortassis impudentior sim: quem tamen si mihi a regia maiestate impetraveris, oppido me donatum putabo. Microcosmum tuum nondum vidi, atque ideo iudicium meum proferre non possum. Sed quae Sslechtāe literatura ingeniumque est, non vereor, ne quid contineat, quod auctori erubescendum sit. Vale, iucundissime mi Sslechtā, tibi que persuade, quemcunque tandem finem conatus tui habuerint, me beneficiorum Sslechtāe semper memorem fore. Datae anno Christi M. D. Novembris XXVI.

60.

Ad Ioannem Sslechtam.

5. Dec. 1500.

Ioanni Sslechtāe s. d. Amicitia nostra in dies celebrior fit: neque domesticis tantum, sed etiam finitimis iam nota est. Delectat id me maiorem in modum: fortassis enim hoc modo eveniet, ut apud posteros inter exempla simus, neque minus quam Pylades Orestesque et caeteri id genus nominemur. Quare haec scribam, accipe. Pontensis civitas semper nobis amica et familiae nostrae studiosissima fuit: ea se hoc tempore a publicanis Pragensibus gravari putat, et ideo ad R. M. quosdam ex suis, iniuriam questum, mittit: quoniam autem me nonnihil autoritate apud te valere existimat, voluit literis meis tibi commendari. Ego vero, qui memorato populo multa debeo, facile a me id impetrari passus sum, et te, mi Sslechtā, precor, ut causam Pontensium quam accuratissime diligentissimeque agas, et eo vultu, quo omnes soles meos, excipias: nam et iustitiae aequitatieque affueris et civitatem utique minime contemnendam tibi hoc beneficio perpetuo obnixiam reddes: mihi quoque plus, quam dici potest, gratum erit, si intellexerint Pontenses commendationem meam illis apud te et adiumento et ornamento fuisse. Vale, et tecum tota academia potius quam cancellaria. Datae anno Christi 1500. Decembris 5.

61.

Ad Ioannem Sslechtam.

8. Maii [1501.]

Nobili ac praestanti viro D. Ioanni Sslechtæ de Wssehrd, 1
 regio secretario, amico unice dilecto, s. d. Respondissem iampri-
 dem epistolæ tuæ, nisi sperassem me propediem apud te futu-
 rum: quoniam autem rumor de conventu Olomucensi iam evanuit,
 accipe per literas, quæ coram loqui institueram. Erras, optime 2
 Sslechtæ, si me idcirco tibi gratias agere putas, quod accepturum
 me aliquid abs te sperem: accepi enim, non accepturus sum, teque
 de me optime meritum esse ingenue confiteor. Et quanquam om- 3
 nis eloquentiæ tuæ nervos intendas, nunquam tamen me ab hac
 sententiâ dimovebis: neque ulla fortunæ vis efficiet, quin Sslechtæ
 et obnoxius sim et agam habeamque gratias. Ut enim prætermittam,
 qua benevolentia atque humanitate abs te Budæ exceptus fui:
 quid tandem mihi unquam negasti? quem meorum tibi frustra com-
 mendavi? quid eorum, quæ ad me ornandum spectare arbitratus 4
 es, neglexisti? quæ ego nisi maximi facerem et penitus in animum
 admitterem, nonne tibi delirare viderer? Quanti rursus illud faci- 5
 endum censes, quod a Sslechtæ, cuius ob os Graii ora obvertunt
 sua, in quem omne virtutum genus, in quem literæ uno simul ag-
 mine confluerunt, inter amicos numeror? Quodsi Trebatius, ut 6
 ille ait, malebat consuli a Caesare quam inaurari, cur ego non pu-
 tem melius tibi placere quam ab alio magnis opibus donari? Scio
 te his offendi: sed tu, dum meo periculo modestus esse vis, co-
 gis me ea apud te referre, quæ apud alios et honestius et libe-
 riore fronte commemorari possent. Iustius itaque deinceps facies, 7
 si me patieris memorem beneficiorum tuorum esse: ne, dum te
 plus aequo demittis, mihi apud ignaros morum meorum ingrati-
 tudinis labeculam inuras. De re Wratislaviensi nihil ad te scribere
 possum: nam neque cum Balbo interim conveni, neque ille man-
 data, quæ ad me habet, litteris committenda putavit; expecto ta- 8
 men eventum rei constanti minimeque anxio animo. Microcosmum
 tuum legi diligenter et mirum in modum admiratus sum. Non
 contentus enim Latina philosophia, ex Graecorum Arabumque my- 9
 steriis innumera eruisti, et doctrina simul atque eloquentia quasi
 duabus alis subvectus, adeo sublime volitas, ut mihi coelos tran-
 scendisse et in ipsum locum supercoelestem, a nemine, ut ait Plato,
 satis laudatum, penetrasse videaris, multoque aptius tibi quam his,
 qui de ratione motuque siderum scripserunt, Ovidianum illud as-
 scribi posset:

Felices animæ, quibus hæc contingere primum,

10

Inque domos superas scandere cura fuit.

Quoniam autem iudiciurn meum requiris, accipe, quid sentiam.
 Censeo enim, ut ex Horatii Fabiique consilio librum tuum, si tibi
 saltem res integra est, in nonum reponas annum. Neque hæc scribo, 11
 quod aliquid corrigendum mutandumve putem: sed quia nemo

huius operis melior censor erit quam tu, si aliquando lectoris magis quam auctoris animo ad ea, quae scripsisti, accesseris: neque dubito, quin pro ingenii tui magnitudine plura validioraque in eam sententiam allaturus sis, et quae nobis plus fructus voluptatisque praebitura sint. Quodsi apertius me agere vis, mallet me in alio¹² literarum genere elaborare, et de moribus, de gubernatione regnorum, de seditionibus discordiisque sopiendis scribere. Illud enim ociosorum umbraticorumque est, hoc autem occupatorum et eorum, qui longo tempore cum summa laude in republica versati sunt: neque etiam nostra magnopere interesse arbitror, Averroisne Arabs¹³ an Alexander Aphrodisaeus de anima rectius sentiat, quum ecclesiastici scriptores ea melius accuratiusque tractent sintque omnia ita iam religione Christiana sancita, ut nihil contra hiscere liceat. Multa quidem id genus Pythagoras Pythagoriceque olim disputaverunt: sed Socrates, quod ea, quae supranos sunt, nihil ad nos pertinere putabat, alio ingenium suum convertit, atque adeo primus de coelo philosophiam deduxisse perhibetur. Plato certe, Aristoteles, Xenophon¹⁵ et quicumque ex ea cohorte sunt, non tantum mihi numerosis illis voluminibus, in quibus res divinas naturalesque complexi sunt, de genere humano bene meriti videntur, quantum quod leges vitae nobis tradiderunt et de sedandis perturbationibus et constituenda republica praeclara monumenta reliquerunt. Quodsi illi, qui nullam¹⁶ reipublicae partem unquam attigerunt, tantum studio diligentiaque sua mortalibus profuisse creduntur, quid abs te expectandum est, qui literis doctrinaeque rerum usum et humanorum negotiorum peritiam adiunxisti? Vale. Maii VIII. die.

62.

Ad Ioannem Sslechtam.

18. Maii [1501.]

Ioanni Sslechtæ s. p. d. Rescripseram iam prioribus literis¹ tuis, quum nuncius Cadanensis mihi alteras abs te reddidit, in quibus more tuo rursus novos quosdam nexus amicitiae nostrae adiicis. Sed ea in praesentia praetermitto et ad id tempus reservo, quo coram de omnibus agere possimus. Neque item quid ad alia,² quae scribis, respondeam habeo (neque enim interim cum Balbo aut domino tuo collocutus sum). Caeterum spero me in proximo conventu Pragae futurum: ubi fortassis utrumque audire potero. Quodsi mihi a domino tuo nomine regiae maiestatis tolerabiles³ conditiones offerentur, permittam, ut ita dixerim, vela ventis: magis ut in contubernio Sslechtæ mei sim, quam quod ambitione et aulicorum moribus magnopere delecter. Vale. Maii XVIII.

63.

Ad Ioannem de Lupis et Hermansgrunae.

28. Maii [1501.]

Ioanni de Lupis et Hermansgrunae s. p. d. Literis tuis¹ varie sum affectus. Molestum enim fuit te interitu cuiusdam gentilis

tui periculoque coniugis gravius fortasse, quam aequum erat, turbatum esse: iucundum autem, quae de rebus Italiae scribis, cognoscere. Caeterum prius illud frequens usitatum est et innatum nobis atque ideo huiusmodi, ut ferri debeat; alterum vero eo tendit, ut de Christiana libertate actum putem. Si enim Italia principum suorum tyrannidem perosa ad Turcos deficiet, Germania, veluti cavea quadam undique inclusa, quamdiu tandem se suaque tuebitur? Neque reliquis nostrae religionis provinciis minor calamitas imminebit. Vereor autem, ne parum praesidii Italis in Romano imperio sub hoc nostro Augusto sit. Quae enim eius auctoritas est? aut quid is adversus Turcos faciet, qui suos in officio retinere minime potest? quomodo item tanti belli sumptibus sufficiet, cui interdum ad quotidianum victum necessaria desunt? De prudentia consilioque eius et rerum usu nihil dico, quando tot domi militiaeque ab eo hactenus gesta satis ostendant, quid nobis de hac magni nominis umbra sperandum sit: quamobrem vel vota Italis nobisque facienda sunt vel alibi quaerendum auxilium, si salvi esse volumus. Ego certe, si ita necesse esset, mallem fastum Gallicum quam Turcorum immanitatem tolerare. Et quoniam is ita vult, qui in terris maximae auctoritatis est, ecclesiae filio quam Ottomanni pronepoti parere tutius iudicarem. Miraris me forte in re seria ludere, sed quid agam, qui nullum omnino horum malorum remedium expecto? Iam enim contagio a vobis ad nos pervenit: neque provinciae nostrae minori morbo quam Germania laborant, quodque pudendum est, quos principes pulcherrimae expeditionis esse oportuit, magistri auctoresque nobis ignaviae et, quasi super mensam Turcos debellaturi, inter vina de rebus hostium consultant. Faedaverunt olim omnia caedibus et rapinis Gothi: sed impraesentia, nisi fallor, multo deteriora Christianos manent. Inprimis igitur nunc nobis philosophandum est dandaque opera, ut animum ita instituamus, ne aut Turcorum impetum reformidet aut alia fortunae vi de arce rationis deiici possit. Is enim vel maximus literarum fructus est. Reliqua in adventum tuum differo. Vale. Maii XXVIII.

64.

Ad Ioannem Sslechtam.

24. Iun. [1501.]

Ioanni Sslechtæ s. p. d. Interfui conventui, qui proxime Pragae celebratus est, et cum domino tuo de quibusdam rebus domesticis collocutus sum. Is me et benigne excepit et humanissime, ut solet, respondit. Expectabam, si quid de his, quae ad me scripsisti, hisceret, tacuit prorsus: neque tamen instare volui, sed postridie reversus dixi inter alia (ita enim Balbus noster te velle affirmabat) me intellexisse ex literis tuis rursus nonnulla cudi, quae ad me ornandum spectant: rescripsisse autem me tibi, ut ea omnia ex illius consilio atque auctoritate agas, quaesivique, num literas vidisset. Respondit se literas non vidisse: audivisse tamen pleraque in eam sententiam. Ad caetera ita mutus erat, ut ranam Seri-

phiam diceret. Urgebat Balbus, ut totum hoc negocium, quo de agitur, latius homini explicem et ab eo opem auxiliumque petam: ego non existimavi mihi a pristinis meis moribus recedendum. Quorsum haec tendunt, nescio: vereor tamen, ne labores tui iterum in ventum abeant; atque ideo precor, ut, si rem processuram censes, pergas, ut coepisti, et id agas, quod e tua integritate et religione esse arbitraris. Sin autem alius exitus conatus nostros manet, cane potius receptui, quam ex me fabulam facias. Haec non solum de re Wratislaviensi, sed etiam aulica intelligas velim. Vale. Datae Iunii XXIV.

65.

Ad Ioannem Domaslavium.

24. Iun. [1501.]

Ioanni Domaslavio s. p. d. Rumor, qui de morte mea temere ortus est, alium fortassis offendisset, mihi autem quam acceptissimus fuit. Fecit enim, ut ea scirem, quae antea ignorabam, hoc est patrum Ovinensium in me studium atque benevolentiam. Audi-
veram quidem iamdudum, quanta esset apud eos doctrina, quanta pietas et religio, quanta sanctimonia vitae, nunc etiam humanitatem agnosco, nempe qui me ignotum tanto complectuntur affectu et pusillum humilemque praedicant ac extollunt. Eorum ego de me iudicio, quanquam omnino falso, non possum non delectari, et a viris tam laudatis laudari maximi facio, videorque hac talium patrum de me existimatione quasi stimulo quodam ad virtutem incitari. Quid plura? cupio et ipse illis bene esse et, quoniam gratiam referre non possum, votis saltem felicitatem salutemque eis imprecabor. Quod quaeris, quid his, qui de re, quae iam pene in ore omnium est, tecum loquuntur, respondere debeas, id ego totum tuo arbitrio permitto: cura duntaxat, ut ea omnia sic abs te agantur, ut reipublicae, rei Christianae, catholicae religioni et tot animarum saluti conducere putabis. Ego certe, quod iam saepe testatus sum, dignitates huiusmodi ut per ambitionem minime appeto: ita neque per ignaviam reformido. Si tamen alterutrum fieri necesse est, malo terminos modestiae quam cupiditatis egredi: in quam sententiam tot mihi iam meditata sunt, ut ab ea dimoveri et ab infstituto meo recedere vix liceat. Vale. Datae Iunii XXIII.

66.

Ad Bernhardum Adelmannum.

24. Iun. [1501.]

Bernhardo suo Adelmanno s. p. d. Nihil aliud habeo, Bernharde, quod ad literas tuas respondeam, nisi admittere me omnia, quae scribis. Neque enim unquam adeo res metallicas amavi, ut te offendere velim, neque etiam, quod tuam (ut ita dixerim) pertinaciam fregi, tam causae tribuo quam humanitati benevolentiaeque tuae erga me, qui importune quoque petenti nihil negandum

censes. Itaque sinamus deinceps metalla valere, et quae natura recondidit Stygiisque, ut inquit ille, umbris admovit, nihil ad nos pertinere putemus: neque tamen propterea, quod metallica negotia et valere iussi et tibi remisi, adventum tuum minori desiderio expecto. Cupio enim vehementer, ut et tu me meaque, quam primum commodum erit, visas, et ego amicissimi hominis conspectu atque colloquio fruar. Agerem haec pluribus verbis: sed viarum discrimina et latrocinia passim pullulantia me, nescio quomodo, non tam pudentem quam timidum in petendo reddunt: atque ideo hoc totum tuo arbitrio permitto. Malo enim te absentem desiderare, quam praesentis calamitatibus, si ita fortuna ferret, illachrymari. Postquam tamen constitues, quod agere velis, recte facies, si id ad me scripseris, ut tibi aliquem itineris ducem mittam. Mitto tibi cultros, quos optasti (cochlearia enim hoc tempore habere non potui), mittam autem et Paulini Antoniiue epistolas, ubi exscribentur. Tibi Alchoranus et Otto Frisingensis caeteraque, de quibus toties ad te scripsi, curae sint: nam, quae ad me hactenus misisti, reddita mihi sunt. Audio Italiam magnis motibus agitari: si quid de ea compertum habes, quaeso, fac me certiore. Nos enim pene in angulo orbis constituti, nihil peregrinarum rerum, quae tamen interdum memoratu dignae sunt, scimus. Vale, acerrimae deliciae meae. Datae Iunii XXIII.

67.

Ad Ioannem de Sseleberg.

1. Iul. [1501.]

Domino Ioanni de Sseleberg, cancellario regni Boëmiaae, s. p. d. 1 Henricus de Sslaynicz, Georgii Saxoniae principis, ut nunc vocant marssalcus, fratrem suum Hugonem ad me misit. Is multa mecum de negotio, quod tibi cum eius principe est, egit. Scis enim id genus hominum multis verbis magnificisque uti solere: mandavi tamen sententias eorum, quae locutus est, memoriae, quas omnes in articulos, ut dicimus, redactas et lingua vernacula scriptas impraesentia ad te mitto. (Addidi et quae ipse responderim.) Ex quibus omnibus si quid excerpere poteris, quod causae tuae conveniat, erit mihi vehementer gratum. Precor autem, ut haec in dextram partem accipias rescribasque, si quid aut Hugoni respondere aut aliud me agere deinceps velis. Invenies enim me tuorum erga me meritum 4 minime immemorem. Vale. Datae Iulii prima.

68.

Ad Ioannem Sslechtam.

13. Iul. [1501.]

Ioanni Sslechtae s. p. d. Cives Cadanenses rursus opera tua 1 indigent; atque ideo iterum tibi a me commendari volunt. Nisi enim tu illis affueris, parvum fructum ex regio privilegio consequentur. Invitus tibi tantum oneris impono. Caeterum patere me, precor, id 2

agere, quod honeste civibus Cadanensibus negare non possum, facitoque, ut intelligant non deesse eis studium meum apud te. Gratum id mihi fratrique meo erit, obligatosque tibi, si saltem fieri potest, obligatiores reddes. Vale, suavissime mi Sslechta, et literis nuperrime ad te datis, quaeso, quamprimum responde. Cupio etiam cognoscere, quidnam adversum Turcos decretum sit. Iulii XIII.

69.

Ad Hieronymum Balbum.

8. Aug. [1501.]

Hieronymo suo Balbo s. p. d. Quae ad me scripsisti, Balbe optime, et culta concinnaque sunt et benevolentiae erga me plena: atque ideo et probantur a me et in animum prorsus admittuntur. Nunquam quidem ex eo tempore, quo te cognovi, quicquam aliud aut speravi de te aut suspicatus sum. Caeterum sicut vulgati quoque cibi interdum, si apponuntur, delectant: ita studium hoc tuum in me, quanquam non novum, nova tamen me voluptate afficit. Ago habeoque tibi immortales gratias, conabor et referre, si licebit, neque etiam dubitabo opera tua prae omnibus aliis quam fidentissime uti: non quod plus illic, quo proficisci decrevisti, possis (ingenue enim tecum agendum est), sed quia diligentius fideliusque (pace illorum dixerim), quae mea sunt, curaturus es: tametsi doctissimi viri de homine non omnino barbaro iudicium apud prudentissimum principem auctoritate carere non potest. At audiendus est antea amicus noster et deinde consilia capienda, qui rebus nostris non parvum momentum allaturus est; nostris ideo dico, quoniam me in altum provecto tu in imo non haerebis. Faciam autem te de his omnibus, quam primum potero, certiore. Quodsi accelerandum tibi Pannoniam est, neque ut cum amico conveniam, expectare potes, facito, ut is sis, qui coepisti, et rem meam, magis tamen rempublicam et religionem Christianam, quantum in te est, cures: cui si bene consules, mihi quoque gratificaberis. Vale. Augusti VIII.

70.

Ad Bernhardum Adelmannum.

23. Aug. [1501.]

Bernhardo suo Adelmanno s. p. d. Non tacui, Bernharde, quadrimestre tempus, ut arbitraris: sed scripsi interim ad te. Quodsi tibi literae meae tardius, quam vis, redduntur, iniquum est aliorum culpam mihi asscribi: neque, etiamsi tacuissem, propterea remissiori erga te animo essem, nempe a quo tot annis non solum unice cultus et amatus, sed etiam omni officiorum genere cummulatus sum. Id tibi persuasum esse puto: si fallor, facito, precor, ut nunc tandem persuadeam. Libros, quos mihi hactenus emisti, gratos habeo, habiturusque sum et illos, quos deinceps emeris.

Itaque non est tibi verendum, ne metas excedas. Scis enim, in quam te partem declinare velim: id autem toties testatus sum, ut rursum repetere non solum superfluum, sed etiam stultum sit. Neque ego impraesentia eos tantum libros, de quibus in epistola tua mentionem facis, abs te expecto, sed cum illos, quos tibi antea signavi, tum hos, quos in hac schedula annotatos invenies. Apud nos flumina mirum in modum aucta sunt: neque solum (ut ait poeta) cum stabulis armenta, verumetiam cum hominibus villas oppidaque tulerunt. Quid id portendat, Deus novit. Tiberis certe vix unquam inundavit, quin magnus rerum motus sequutus sit. Pannonia adversum Turcos bellum apparat magis, quam gerit. Quum enim Turcus omnes Europaeas copias trans Hellespontum in regulum Ciliciae, qui, Persarum opibus fretus, arma in se movit, duxisset, Pannonii tanto motu liberati, omnia negligentius agunt. Vale. Augusti XXIII.

71.

Ad Wladislaum, Pannoniae et Bohemiae regem.

16. Sept. [1501.]

Regiae Maiestati s. p. d. Egit mecum dominus cancellarius, ut in numero aulicorum maiestatis tuae sim, obtulitque stipendii nomine mille aureos. Ago gratias vehementerque laetor id mihi a maiestate tua sponte offerri, ad quod caeteri per ambitionem tendunt. Stipes sola minor est, quam ut mihi sufficere possit: hanc precor augeri. Ut enim meum est nihil eorum, quae maiestas tua imperet, recusare: ita maiestatis tuae consulere mihi curareque, ut cum honore in aula tua versari possim. Neque ego nunc aliquid magnum inconsuetumque cupio: sed ad memoratam summam ducentos aureos adiici peto. Id si impetravero, satisfactum mihi hoc tempore erit, et rebus meis a maiestate tua optime provisum arbitror. Sin autem, quae opto, maiora sunt, quam admitti debeant, faciam, quaecunque dominus meus rex iubebit, cui me totum commendo atque dedo. Vale. Septembris XVI.

72.

Ad Ioannem Sselnbergium.

16. Sept. [1501.]

Ioanni Sselnbergio, cancellario r. Boh., s. p. d. Quae mecum Pragae nomine regio locutus es, ea intellexi: sed quoniam nova insperataque mihi erant, non potui tum commode respondere. Nunc autem accipe, quid sentiam. Probatum mihi magnopere, quod ad id provocor, quod caeteri ambiunt, probatur item benevolentia tua et studium, quo in me ornando extollendoque usus es uterisque stipes tamen ipsa vulgaris est minorque, quam sumptibus meis sufficere possit. Nollēm quidem vindicare mihi id, quod non merui. aut quippiam praeter aequum optare. Caeterum ut meum est parere: ita regium dare operam, ut cum dignitate in curia vitam

ducere possim. Quamobrem precor, ut his incommodis opem ferar curesque, ut ad priorem summam mihi ducenti aurei decernantur. Erit quidem et id parum, si ad ea, quae expensurus sum, conferentur: sufficiet tamen mihi impraesentia; interimque alar spe, quae si me fallat, iucundum tamen erit honesta conditione in numero aulicorum fuisse. Vale. Septembris XVI.

73.

Ad Conradum Celtem.

26. Sept. [1501.]

Suo Conrado Celti s. p. d. Redditae sunt mihi tandem literae abs te, Conrade, non solum elegantes, sed etiam amicae. Tacuisti enim longo tempore putabamque te ranam Seriphiam: sed picam impraesentia agnosco. Gratum id quidem mihi est, multo tamen gratius studium tuum atque opera, quam mihi polliceris: et benevolentia tanti viri erga me non possum non delectari. Amasti me, Conrade, antequam nosceres, demum Viennae omni humanitate complexus es, neque ex eo tempore honestissime de me loqui destitisti. Haec ego nisi maximi facerem, delirare profecto viderer: non desinam tamen eniti atque cogitare, ut tibi non solum in amore respondeam, verum etiam tam privato quam publico omnium literatorum nomine (si fieri poterit) gratiam referam, nempe qui primus nostratium mansuetiora haec studia Germaniae intulisti, triplicique laurea insignis, hoc est Hebraea Graeca Latinaque lingua, de omni barbaria triumphasti. Adde tot praeclara ingenii tui monumenta, tot denique peregrinationes, qui, dum rem literariam iuvare cupis, omnem pene Septentrionem peragrasti, et innumera volumina, quae iam a tineis corrodebantur, ex pulverulentis illis bibliothecis eruta in lucem protulisti. Sed haec forsitan superflua sunt et tibi pro tua modestia parum accepta. Scribis te propediem cum quodam mathematico ad me venturum: gaudeo gaudeboque magis, ubi ea, quae spondes, praestiteris, et me tanto hospite fortunatum iudicabo. Quodsi spe, in quam abs te coniectus sum, me frustraberis, dicam tibi proverbium illud ab Aristotele usurpatum, quod vulgo ordinis nostri hominibus obiici solet: Multa mentiuntur poëtae. Quod ad Bilibaldum Pirkhaymer attinet, scito me eum esse, qui omnibus bonis ex animo afficior et, quisquis aliquam indolem virtutis prae se fert, hunc ego non solum admiror, sed etiam observo. Itaque quanquam mihi Bilibaldus suapte integritate satis commendatus est, commendatiorem tamen literae tuae faciunt, poteritque is deinceps omnia a me expectare et suo iure exigere. Vale, optime Conrade, valeat item tecum omnis literarius coetus, qui Norbergae degit. VI. Cal. Octob.

74.

Ad Ioannem Sselnbergium.

30. Sept. [1501.]

Domino Ioanni Sselnbergio, cancell. Boh., s. p. d. Scribit mihi 1
regia maiestas commisisse se tibi et domino Alberto, magistro
curiae, nonnulla mecum loqui; ea qualia sunt, nescio: quoniam
tamen tu nihil ad me scripsisti, suspicor eadem esse, de quibus
Pragae mecum egisti. Ad quae quia iam respondi, non putavi 2
necessarium esse hoc tempore me Pragam proficisci. Caeterum si
quippiam aliud mecum locuturi estis, facito me certiolem, et mox,
ubi literas tuas accepero, ad vos Pragam advolabo. Vale. Septem-
bris ultima.

75.

Ad Ioannem Sslechtam.

4. Oct. [1501.]

Ioanni Sslechtae s. p. d. Accitus sum tandem a domino tuo 1
Pragam et mandata regia cupide audiui. Placuerunt mihi omnia:
stipes tantum exigua visa est minimeque sumptibus meis futuris
sufficiens, longeque minor, quam literae tuae innuebant, quippe
quae omnibus fere, ut audio, aulicis dari solet. Hanc mihi augeri 2
petivi; quod ubi non obtinui (quoniam fortasse id in mandatis
non habebat), dixi me consultaturum: neque multos post dies li-
teras ad hominem dedi, quarum exemplum tibi mitto. Tuum autem 3
erit curare, ut alterum e duobus fiat: hoc est, ut aut stipes sola aut
cum stipe numerus equorum mihi augeatur et pro decem duodecim
fiant milleque aureis ducenti addantur. Neque tamen, si neutrum ho- 4
rum impetravero, ideo regiae voluntati adversabor: sed permittam vela
ventis et ex tranquillo portu me in vastum pelagus coniiciam, ti-
bique, qui horum omnium caput origoque es, deinceps tam pro-
spera quam adversa mea accepta referam. Vale. IIII. Octobris.

76.

*Ad Rodericum Dubrawum.*10. Dec. [1501.] — *Responsum ad App. 15.*

Roderico Dubrawo L. L. D. s. p. d. Legi opusculum tuum, 1
quod de conficiendis epistolis inscriptum mihi dicasti, legi item
epistolas, in quibus, quae accurate praecepisti, studiose diligen-
terque observas, vehementerque admiratus sum. Si enim primitiae 2
tuae huiusmodi sunt, quid sperandum nobis est, ubi et aetas ac-
cesserit, et exercitatio vires atque (ut ita dixerim) nervos tibi addi-
derit? Ego certe, ut dicam, quod sentio, his tuis praeludiis, quasi 3
peculiari quadam reipublicae nostrae felicitate, delector: nempe
cui tu paulo post magno ornamento futurus es. Praeripuerant iam-
pridem maiores nostri Graecis Romanisque rei bellicae gloriam:
studiis tamen literarum hactenus vincebamur. Facile enim erat (ut 4
inquit ille) vincere non repugnantes: sed nunc doctrina tua facta

est victoria nutans. Itaque macte virtute esse iubeo hortorque, ut in hoc pulcherrimo instituto perseveres, neque patiaris id vitae, quod tibi coelitus dabitur, per ocium et socordiam effluere. Ut enim ferrum ita et ingenium, nisi subinde exerceas, corrumpitur: neque minus animi bona negligentia et ignavia depravantur, quam vitia studio laboreque corriguntur. Haec idcirco scribo, quoniam, etsi laudi tuae ex animo faveo, in barbarie tamen nostra et voluptatum domesticarum copia tantoque literarum contemptu tibi non metuere non possum. Caeterum si praestiteris, quae cupio, et hunc erga literas affectum minime remiseris, (nisi me gustus fallit) propediem aliquid ex officina tua prodibit, quod patria quidem celebret, docta autem Italia invideat et suum esse velit. Quod ad me attinet, magno mihi videor abs te beneficio affectus, qui me potissimum delegisti, cuius auspicio tam elegantem libellum in lucem emitteres, habeoque tibi propterea gratiam immortalem. Fiet enim fortasse, ut, quod cura industriaque mea assequi non potui, id tua assequar, hoc est, ne nomen nostrum apud posteros prorsus incognitum sit. Vale. Decembris X.

77.

Ad Bernhardum Adelmannum.

20. Ian. [1502.]

Bernhardo suo Adelmanno s. p. d. Tarde tibi rescribo: tarde enim mihi literae tuae redditae sunt. Quanquam hoc tempore non est necesse me ad omnia respondere (quid enim attinet ea, quae saepe iam diluta sunt, rursus diluere?). Sim sane, quando ita vis, in rescribendo piger, sim interdum dicatior fortassis, quam par est: meus tamen erga te animus semper is est eritique, qui debet. Neque item rei literariae impraesentia ullam mentionem facio. Omnia enim ea non solum ad te scripta, sed etiam saepius repetita atque identidem tibi inculcata sunt: miror tamen tanto tempore nihil me abs te librorum accepisse. Quod autem scribis Germaniam sine lege vivere principatusque vestros, quod Augustinus iniustus regnis accidere ait, latrocinia vera esse, graviter fero. Insignis enim haec natio et Christianarum omnium validissima, nisi intestinis seditionibus et id genus morbis laboraret, vel sola barbararum gentium impetum sustinere posset: unde fit, ut eius malis non ingemiscere non possim. Quodsi Carolus, qui primus titulos Romani imperii in Germaniam transtulit, si tot Henrici atque Othones ab Acheronte excitarentur, quibus tandem verbis tum Augustum nostrum et illam magni nominis umbram, tum caeteros principes incesserent, quorum ambitione atque ignavia omnis prisca Germanorum indoles extincta est? Ais te vereri, ne subditi iniuriis exasperati in superiores consurgant: neque, ut mihi videtur, immerito. Omnium enim tyrannidum pene is exitus est. Tanto autem magis id in Germania timendum est, quanto vulgus vestrum et ferocius et servitutis impatientius esse putatur. Ioannem nostrum Sanshamensem decessisse iniquo animo patior. Erat enim mihi

Bononiae summa benevolentia atque familiaritate coniunctus : ignoscat Deus immortalis peccatis suis et nobis omnibus cum eo portionem in terra viventium conferat. Equus tuus caeteraque, de quibus ad me scribis, curae mihi erunt, et quam primum per viarum difficultatem commode fieri poterit, ad te mittentur. Nos hic adventum regium quotidie expectamus : is si differetur, Pannoniam mihi proficisci necesse est. Vale. Ianuarii XX.

78.

Ad Bernhardum Adelmannum.

12. Mart. [1502.]

Bernhardo Adelmanno s. p. d. Etsi omnia sperare libet, optime Bernharde, non possum tamen impraesentia non vehementer angi. Novum enim hoc tuum pertinaxque silentium, ut minime tibi consuetum, ita mihi admodum molestum est. Expectabam abs te magno desiderio Alchoranum, Ottonem Frisingensem et pleraque eius generis, sed ea spe hactenus frustratus sum : et quoniam studium diligentiamque tuam in his, quae ad me pertinent, iam pridem expertus sum, hoc tempore (ut ingenium humanum ad deteriora suspicanda proclive est) valetudini tuae mirum in modum timeo, neque tamen, quo hoc metu quamprimum liberer, longas a te frequentesve epistolas exigo : sed satis mihi erit, si rem uno verbo absolveris : hoc est, si significaveris te valere. De re literaria eadem mihi, quae prius, sententia est : si saltem tibi quoque tantum est ad eam curandam ocii, quantum antea fuit. Equum, de quo mihi scripsisti, tibi tandem mitto donoque et precor, ut boni consulas : mitto et epistolas Paulini Antoniiue, quo in eo quoque fidem meam liberem. Apud nos bellum adversus Turcos omnium ordinum suffragiis decretum est : quod utinam tanto animorum ardore gereretur, ut coeptum est. Socii belli sunt pontifex maximus, Galliae Hispaniaeque reges Venetique, neque solum annum auri pondus pollicentur, sed etiam ingentibus classibus se littora Asiatica vexaturos aiunt, putaturque hostis noster, quanquam potentissimus est, tantos terra marique Christianorum apparatus vix toleraturus. Ille quidem (ut fama est) et classes struit et milites conducit et incredibilem machinarum tormentorumque vim congregat : sed tamen si Deus nobiscum, quis contra nos ? Vellem autem, ut tua quoque Germania intestinis seditionibus positis et lethargo hoc, quo premitur, excusso ad vicinum incendium extinguendum confluat. Subacta enim, quod Deus immortalis avertat, Pannonia vereor, ne de Germania quoque actum sit, maxime in tantis principum populorumque contentionibus et Augusto hoc nostro parente potius quam imperante. Rex noster post solennia Dominicae Resurrectionis Pannoniam rediturus est, comitabor forsitan et ipse hominem aut, si quid impedierit, propediem (Deo adiuvante) sequar, tamdiuque in numero aulicorum ero, quamdiu honeste receptui canere non potero. Nec interim desistam dare operam, ut

mihi in religioso literarioque ocio consenescere liceat. Vale, dulcissime Bernharde, et hunc nuncium aliquo onustum libello ad me remitte. Martii XII.

79.

Ad Bartholomaeum Nigrum Cadanensem.

14. Mart. [1502.]

Bartholomaeo Nigro Cadanensi s. p. d. Tot continent literae 1
 tuae, Bartholomaeae, ut his impraesentia vix commodè respondere
 possim: tum quia tempus hoc aptius religioni quam commercio
 literarum est, tum etiam quia sarcinulas, utpote in numero auli-
 corum regionum quam primum futurus, assidue colligo neque levi-
 oribus his vacare possum: ne tamen me superbum aut, si id con- 2
 tumeliosum est, in scribendo parum diligentem existimes, attingam
 paucis, quae, si mihi ocium esset, multis prosequutus fuisset.
 Quod enim me tantopere amas atque observas, mirum in modum
 gaudeo, et hoc summae spei adolescentis in me animo plus, quam
 dici potest, delector. Neque velim ipse tibi aliud de me pollice- 3
 aris, non solum ideo, quod a natura constitutum est, ut amantes
 amemus et his, quos nobis amicos cognoscimus, plurimum affi-
 ciamur: sed etiam quia, quae optimis illis viris avunculis tuis, a
 quibus semper unice cultus fui, praestaturus eram, tibi debere vi-
 deor. Accedit his ardens tuum erga bonas artes studium, cui ge- 4
 neri hominum tantum ego tribuo, ut nihil aliud sit, quo tibi ma-
 gis conciliari possim. Itaque recte deinceps facies, si cura ope-
 raque mea quam fidentissime usus fueris. Tanto autem (ut inge- 5
 nue tecum agam) omnia tibi apud me impetrabilia erunt, quanto
 magis literas disciplinasque foveris atque dilexeris. Fortassis enim
 eveniet, ut Cadana non minus tuo quam avunculorum tuorum in-
 genio et doctrina clara celebrisque reddatur. Multa addis in epi- 6
 stola tua et me laudibus, nescio quibus, in coelum effers, atque ut
 quidam Thersiten caeterasque materias, quas infames vocant, sibi
 ad exercendum ingenium deligunt: ita tu me potissimum tibi de-
 sumpsisti, in quo laudando et extollendo vires tuas ostendas: sed 7
 ea omnia ego neque agnosco, quod omnino arrogantis, neque
 refello, quod ridiculi esset, talia etiam sunt, ut sponte sua nemi-
 ne impellente ruant. Neque est, cur auctoritati Martini mei Mel-
 lerstat hoc tempore cedas: amat enim ille me summopere neque 8
 id meritis meis, sed sua humanitate facit, atque ideo plura mihi
 tribuit, quam ferre possum: quumque ipse magnus sit neque so-
 lum vitae integritate, sed etiam omni literarum genere praestet et
 antecellat, me pusillum suis metitur virtutibus. Caeterum ego im- 9
 becillitatis meae conscius nihil mihi huiusmodi arrogo maloque a
 doctissimo quoque amari quam laudari, nempe quum saepenumero
 accadat, ut, dum non possumus expectationi de nobis ab amicis
 concitatae satisfacere, ludibrio omnibus simus. Munera tua mihi 10
 admodum grata iucundaque sunt, utpote quae auctor (ut inquit

ille) preciosa facit, agoque tibi gratias nec dubitabo referre, si quid aliquando in me erit, quod honori gloriaeque meo Bartholomaeo esse possit. Vale. Martii XIII.

80.

Ad Martinum Mellerstat.

[1502.]

Quod tandem pertesus curiam ad vitam privatam rediisti, pro-
bo etc. Accedit his alia comoditas, quod in academia Lipsensi
inter homines tui ordinis degis, et quocunque vertis oculos, presto
tibi sunt Platonēs, Aristoteles, Augustini, Hieronimi, Thome, Scoti,
Hipocrates et Galieni, ut litargum (si quo infectus es) facile eorum
colloquio depellere possis: Mansuetiora quidem studia, quae
religioni christiane inimica putarentur, parum sat hactenus vige-
runt. Nescio tamen, quid Conrado Wimpine cultius, limatius ele-
gantiusque sit, et nisi barbara gentium locorumque nomina non-
nullam carmini suo duritiem afferrent, nulli recentiorum in hoc
scribendi genere cederet.

81.

Ad Conradum Vimpinam.

11. Maii [1502.]

Conrado Vimpinæ s. p. d. Quae ad me scripsisti, optime
Vimpina, magna cum voluptate legi, neque solum benevolentia tua
in me, sed etiam literarum tuarum elegantia atque gravitate maio-
rem in modum delectatus sum. Illud tamen molestum fuit, quod
cum Martino meo Mellerstat parum tibi convenit, et similitatem
hanc inter clarissima Lipsensis gymnasii lumina oriri potuisse et
portenti loco iudico et acerbissime fero. Vellem quidem utrique
bene esse, prosperisque rebus vestris non secus quam meis gau-
derem laetarerque: nempe quum utrumque prius coeperim diligere
quam noscere. Caeterum vereor, ne hoc vestrum minime Christia-
num certamen plus vobis infamiae quam laudis afferat. Quem
enim arbitramini sermonem vulgi de vobis futurum, si Conradus
Martinusque, qui hactenus virtutis modestiaeque exemplum fuerunt,
nunc affectibus suis frena laxaverint et more eorum, qui pertur-
bationibus tamquam ventis agitantur, inter se digladiati fuerint?
Forsitan etiam illi, qui nunc concordia vestra offenduntur, et dis-
sidiis huiusmodi fomitem subministrant, nisi desinetis, tanquam
victores exultabunt et, quos antea colebant venerabanturque, paulo
post non modo levitatis inconstantiaeque arguent, sed etiam con-
temnent et deridebunt. Itaque si iudicio meo parere vultis, audite
me, non ut iudicem decernentem, sed quasi amicum rogantem ob-
secrantemque, ut contentionibus his, donec radices agant, abiectis
quamprimum amici sitis. Estis enim eiusdem nationis, in eadem
urbe alti educatique: in eadem praeterea instituti academia. Multa
etiam (ut audio) familiaritas inter vos fuit, multa beneficiorum ul-

tro citroque collatorum vicissitudo, quae omnia momento temporis extinguere atque delere vix providorum atque sapientum est. Dura sunt forsitan haec sed malo ingenue aperteque tecum agere et amici animum mordaci radere vero, quam a tergo ciconiae rostrum aut aselli auriculas ostentare, precorque, ut, quae scribo, in bonam partem accipias, neque tibi solum, verumetiam Martino scripta existimes. Quod ad versus tuos attinet, scito non esse consuetudinis meae aut imitari eos, qui in aliis operibus lynces capreaeque, in suis talpae sunt, aut quenquam repraehendendo mihi gloriam quaerere. Neque arbitror Martinum meum quicquam huiusmodi de me loquutum esse, quando vel mea, quam citas, epistola facile ostendit, quod sit meum de te carminibusque tuis iudicium. Cuperem plura scribere, sed non est mihi hoc tempore ocium, quoniam sarcinulas versus Pannoniam colligo, et perendie illuc profecturus sum. Vale et me, ut coepisti, dilige. Maii XI.

82.

Ad Bernhardum Adelmanum.

1. Aug. [1502.], Buda.

Bernhardo Adelmano s. p. d. Literae tuae diu peregrinatae sunt: nam XI. Maii datae vix tandem Budae VII. Cal. Augusti repperunt me, et quidem non nihil adversa valetudine laborantem. Innatum est enim fere omnibus nostratibus, ut huius aëris intemperiem vix ferre possint. Agis mihi gratias, caeterum ego non sum mihi tanti in te meriti conscius, ut verbis tam magnificis gratias te mihi agere oporteat: nempe si mutua nostra beneficia in statera appenderentur, mea vix centesimam tuorum partem aequabunt. Alchoranum nondum vidi: nesciebat enim Ioannes in Hof, hucne an in patriam eum mihi mitti velim. Quod ad me attinet, versor hic inter aulicos purpuratosque, honoro alios, honoror et ipse, arrideo arrideturque mihi. Haec an mei stomachi sint, facile existimare potes; certe pauca, quae probem, hic invenio, et saeculares feritatem gentis, unde oriundi sunt, redolent, foris blandi, intus pleni dolo et perfidia esse dicuntur. Ecclesiastici crebrius de nummis quam de coelo loquuntur, saepiusque Nemesim et Laidem quam Christum in ore habent, quodque vix tolerabile est, plus Plauto Vergilioque quam euangelio incumbunt, et studiosius Epicuri dogmata quam decreta pontificum evolvunt. Princeps ipse moderatissimus iustissimusque est: sed cogitur interdum magis ex aliorum sententia quam sua res agere, dumque unam iniusticiae partem cavet, quod non infert iniuriam, in alteram interdum metu seditionum labitur, quod ab his, a quibus potest, iniuriam non propulsat. Gerit is nunc bellum adversus Turcos iamque nuperrime alam quandam eorum profligavit, sed tantis eius apparatusbus vereor ne intestinae discordiae plurimum obsint: nam et pontifices proceresque de nobilitatis insolentia atque lascivia queruntur, et nobilitas illorum fastum atque tyrannidem accusat, coniuratque in

arma, quo ab iniuria tutior sit; utrique autem regem variis artibus in suas partes trahunt, quae omnia quorsum declinabunt, nescio. Postremo id te cupio scire inter omnia Pannoniae potissimum hoc mihi placere, quod multos invenio cupidos literarum et omnifariam doctos, quorum colloquio atque familiaritate uti in deliciis habeo. Vale, optime mi Bernharde. Datae Budae, Augusti Cal.

83.

Ad Cherubinum, fratrem ordinis minorum de observantia.

23. Aug. [1502.]

Fratrī Cherubino ordinis minorum de observantia s. d. Mirifice delectatus sum literis tuis, pater Cherubine, (omne enim genus tuae in me benevolentiae prae se ferunt) neque id facile dixerim, quam mihi id gratum sit, felicemque me hoc tuo erga me affectu iudico. Caeterum quum omnia tua et laudem et admirer: illud, quod te adeo abiicis atque demittis, probare non possum. Facis quidem tu, quae modestiae et Christianae religionis atque pietatis sunt, imitarisque convivam illum eūangelicum, qui, dum ultimum inter discumbentes locum occupat, patrisfamilias iudicio altius pro-
 vectus est. Me tamen eorum, quae ad te scripsi, non poenitet: sed haec attigisse satis est. Praestat enim minusque suspectum est virtutes tuas apud alios quam apud te referre. Quod scribis Aristobolum Venetias rediisse, vehementer gaudeo. Amo enim optimum illum virum, etsi faciem eius ignoro: nam tanta probitatis atque doctrinae vis est, ut etiam ignotis nos conciliet. Poterit is mihi in praesentia commodius operam navare et, ut dicam, quod sentio, tutius aetatem Venetiis quam Cretae aget. Avertet id fortasse omnipotens Deus: ego tamen post extremum Epiri Peloponnesique exterminium nobilissimae illi insulae non timere non possum: maxime quum Veneti minime tantam belli molem sustinere possint, et principes caeteri partim similitates privatas persequantur, partim voluptatibus marceant: religionem vero et Christianam rempublicam omnes negligant. Neque scio, an ulla nostrarum gentium praeter Pannonios in armis adversus Turcos sit, qui, dum fines suos defendunt, toti Germaniae saluti sunt. Herodotum et Etymologicon exscribi mihi laetor: neque hos codices solum, sed etiam alios, quos in schedula huic epistolae inclusa annotavi, magno desiderio expecto. Pecuniam autem apud Ioannem in Hof deposui, quae, ut arbitror, propediem ad te deferetur. Tuum est iam, pater Cherubine, curare, ut Aristobolus non solum boni viri, sed etiam diligentis scriptoris (ut hactenus fecit) officio fungatur. Vale, optime pater, persuasumque habe me tibi ex animo affici nihilque magis optare, quam ut aliquando tuae erga me benevolentiae gratiam referre possim. Augusti XXIII.

84.

*Ad Ioannem Hermansgrunae ex Lupis.**[1502. exeunte.]*

Ioanni H. ex Lupis s. p. d. Etsi literae tuae huiusmodi fuerunt, ut non potuerim his non delectari: id tamen acerbissimum fuit, quod intellexi ex eis ita hoc tempore omnia apud Christianos agi, ut vix quicquam sperare liceat. Amisimus superiore anno, quicquid religionis nostrae in Peloponneso Epiroque fuit: nuper Dyrrachium, clarissima quondam urbs, a barbaris occupata est: nos tamen adhuc domestica bella gerimus, et quum non solum libertati nostrae, sed etiam vitae ingens periculum immineat, invicem digladiari quam potentissimo hosti resistere malumus. Iam etiam inveniuntur, qui ad Turcorum auxilia confugiunt: quasi iamdudum furor similis non Graeciam Thraciamque perdiderit. Quid? quod illi, quos seditiones discordiasque Christianas sopire atque extinguere oportebat, satores bellorum sunt: neque curant, quicquid de religione fiat, dummodo ipsi se omnibus formidabiles praebeant et liberos suos, quos turpiter genuerunt, turpius ad amplissimos principatus provehant. Videris quidem tu magni quippiam tibi de rege Gallo polliceri: ego autem nihil boni expectare ab eo possum, qui initia regni a matrimonio omni iure prohibito auspicatus est: neque me frequentes eius conciones movent, quibus se adversus Turcos arma sumpturum iactabat. Arte enim callidus homo utitur, et quoniam, dum aliena pro libidine rapit, se omnibus invisum esse timet, popularibus his blandimentis offensos principum populorumque animos sibi reconciliare conatur. Neque item credere possum Venetorum circumspicacissimam rempublicam a bello Turcis inferendo quenquam avertere, quando maxime eorum interest Turcos opprimi. Liberat etiam eos hac suspicione, non solum quod hoc tempore soli inter Christianos barbarorum impetum sustinent, sed etiam quod in famosa illa Gotfridi adversus Saracenos expeditione egregiam semper religioni catholicae operam navaverunt. Itaque si licet abs te dissentire, plus nobis, ut ego arbitror, praesidii in Venetis quam in rege Gallo est: atque adeo, ut sine eorum opera omnis huius belli ratio manca futura sit: quanquam tutissimum esset iungere vires et communi non solum Gallorum et Venetae civitatis, sed omnium Christianorum consilio rem tantam aggredi.

85.

*Ad Bernhardum Adelmannum.**[1503. ineunte, Buda.]*

Bernhardo Adelmanno s. p. d. Literas, quas ad me proxime dedisti, summa cum voluptate legi, et Lucam de valetudine tua narrantem laetus audiavi qui etiam pleraque alia cognitu non iniucunda mihi retulit: literas autem caeteraque, de quibus scribis, nondum accepi, sed intra triduum ea omnia ad me perlatum iri spero. Institueram quidem interim nihil ad te scribere: sed veri-

tus, ne periculum in mora sit, putavi id, quod cupio, tibi paucis significari oportere. Audio enim pontificem Basiliensem decessisse, et quosdam Graecos codices, quos ille magno studio congregaverat, in praesentia venales esse. Hos aut saltem aliquos ex his mihi tua opera industriaque coëmi (si fieri posset) mirum in modum opto. Uterer pluribus magnificentioribusque verbis, nisi vererer, ne blanditiis huiusmodi offendam animum tuum magis quam demulceam. Illud solum dixisse satis erit, te nihil hoc tempore mihi gratius acceptiusque facere posse, quam si id, quod tantopere expeto, tua diligentia consecutus fuero. Ethica Aristotelis apud librarium sunt excribunturque: proxima autem quadragesima ea tibi cum Antiquitatibus Romanis mittam: quo tempore expecto abs te aliqua mei stomachi. Tantum enim abest, ut aviditatem meam, quemadmodum pollicitus es, expleveris, ut nondum tanti operis fundamenta ieceris. Expecto a te etiam quoddam novum scorpionis genus, de quo Lucae retulisti: expecto et astrolabium, quae optima Augustae fieri audio: neque est, cur in Graecis Latinisque libris aut huiusmodi instrumentis ullum precium extimescas. Sum enim talium, ut facile suspicari potes, longe avidior quam pecuniae. Vale, meum cinnamomum et balsamum: plura enim tum, cum plus ocii nactus fuero, ad te scribam: nam haec quod mihi velim credas, inter choros puellarum saltusque dictavi.

86.

Ad Ioannem Sslechtam.

[Febr. 1503. Buda.]

Ioanni Sslechtæ s. d. Passus sum hac nocte febriculam levem, quae, ut spero, diligenti cura atque abstinencia facile evanescet: nolui tamen ad te in hac aëris intemperie venire: ne ex scintilla incendium exuscitem: sed precor, ut ad me hodie coenatum venias, quo de rebus partim ad rempublicam partim ad privatos pertinentibus, libere colloqui possimus. Id propterea scribo, quoniam affinis meus Plawensis mirabilia monstra ad me scribit, quae, ut ego arbitror, etiam ad regiam maiestatem scripsit. Duces autem tecum nostrum mareschalcum, quem quia amantissimum patriae mihi esse persuadeo, consiliis nostris interesse, facile pati possum. Vale.

Undique finitimi consurgunt, Sslechtæ, tumultu

Et premitur semper patria nostra gravi:

Aut igitur patriae linquenda domestica lis est,

Aut magnum nobis imminet exitium.

87.

Ad Ioannem Sslechtam.

11. Maii 1503. — *Responsum App. 18.*

Ioanni Sslechtæ s. p. d. Si vales, Sslechtæ, fit, ut cupio: nam et ego valeo, in patriamque salvus redii: quod non dubito

tibi pro nostra mutua benevolentia perquam iucundum esse. Quae mihi in itinere adversa prosperaque contigerint, ea ex Luca cognoscas: quae vero isthic gerantur, non possum ad te sine summo dolore scribere. Nam praefer colles et nemora et loca, in quibus natus ac educatus sum, nihil in patria reperi, quod me delectet. Pullulant enim passim latrocinia: innumerae oriuntur seditiones: fremunt omnes ordines: populi, nisi procures ius suum remiserint, iam prorsus ad arma spectant: et domesticos et externos hostes timemus. Cum Alberto Bavaro, Philippo Palatino, Friderico Brandenburgensi etsi non aperto Marte, magnis tamen suspicionibus res agitur. Saxones palam bellum apparant, quantoque lentius incipiunt, tanto constantius perseveraturi putantur. Principes senatus nostri ad imperandum prompti, ad iniurias privatorum persequendas remissi sunt et, quod foedum dictu est, partim inter se veteri illo invidiae morbo laborant, tantumque concordant, quantum rei familiari expedit: partim voluptatibus et avaritiae serviunt: cumque et ipsi saepe conveniant et provincialium conventus celebrent, nihil autem auxilii reipublicae afferunt. Amicus ille noster, qui nuper magistratum adeptus est, semper sui similis est et, ut est ingenium hominis, longe plura aggreditur, quam perficere potest: omnibus ferme et frementibus et hominis temeritatem accusantibus. Quid plura? domi forisque nihil pacati est, nihil spei res aliqua quando meliores fore: unde fit, ut nihil patriae boni ominari possim: neque solum apud Pannonios, sed apud Garamantas et Indos interdum esse mallet, tragicumque illud mecum identidem decanto: Peior est bello timor ipse belli. Quod ad stipem meam attinet, scito cogitationes nostras in ventum abiisse: causam autem ex his, quae dominus de Plaun regiae maiestati scribit, cognoscas. Narrabit etiam tibi Lucas aliqua, cui precor, ut ita hoc tempore credas, acsi ipse coram constitutus tecum loquerer, facitque more solito et provinciam a me tibi mandatam diligenter abeas. Id si impetravero, priora tua in me beneficia mirifice cumulata iudicabo. Vale, et me DD. RReverendiss, domino Varadiensi, domino Vespreniensi commendabis, ac domino Albensi et amico meo domino Philippo Morae. Datae anno salutis nostrae 1503. Maii 11.

88.

Ad Ioannem Sslechtam.

[1503—04.]

Ioanni Sslechtas. p. d. Petivi a regia maiestate Vitas Plutarchi Graecas, quatuor voluminibus inclusas: et quoniam nihil respondit, negatum mihi putavi: sed quia proverbium est, regum mentes simul cum aëre mutari, rogo, si quando mei mentio orta fuerit, ne occasione desis: quandoquidem melius arbitror, eadem volumina apud me esse, quam illic squalere in pulvere et a tineis corrodi. Hoc mihi in praesentia nihil gratius facere potes. Quodsi quis procerum nostrorum Budae erit, quem mihi nonnihil affectum

arbitraveris, non absurdum fortassis erit, eius opera uti : sed haec omnia tuo iudicio relinquo. Hic mirabilia de motibus Pannoniae, et pontificum procerumque contentione dicuntur : ea, precor, ut ad me scribas, et quae coelari volueris, facito, ut cognoscam, quoniam optima fide coelabuntur, etc. Vale.

89.

Ad Ioannem Sslechtam.

8. Oct. 1504.

Ioanni Sslechtæ s. d. Saepenumero ad te scripsi, sed nescio 1 quo fato accidit, ut, dum literae meae tibi non redduntur, tu quoque nihil rescribas. Quinetiam proximis his diebus, dum ignoro te pro foribus (ut ita dixerim) poene esse, Budam nuncium cum literis ad te misi : quae quales erant, quidve continebant, partim 2 Lucas coram referet, partim ex schæda epistolae inclusa cognoscet. Precor autem abs te, mi Sslechta, ut, si semper mei studiosus fuisti nihilque eorum, quae ad me ornandum spectabant, praetermisisti, hoc quoque mihi tempore adsis. Quae enim tua prudentia 3 atque autoritas est, facile (ut ego arbitror) id, quod cupio, praestare et mihi operam navare poteris. Qua in re si fallor, difficiliorque haec provincia est, quam mihi persuadeo : non absurdum ta- 4 men forsitan erit, amicum tuum, quem prius amasti, quam nosceres, vel magnis tuis curis atque laboribus mercede sua non esse fraudatum. Vale. Datae anno Domini 1504. Octob. 8.

90.

Ad Ioannem Sslechtam.

[1504. exeunte.]

Ioanni Sslechtæ s. p. d. Audio te uxorem duxisse : gratulor tibi : 1 gratularer autem pluribus verbis, nisi putarem tibi persuasum esse, me pro nostra amicitia non minus prosperis tuis quam meis delectari. Quod vero trinis meis literis nihil rescribas, miror ; et quoniam studium tuum atque diligentiam in his, quae ad me pertinent, saepenumero expertus sum, arbitror eas tibi minime redditas esse. Itaque in praesentia repetam, quae iampridem ad te scripsi. Nescio 2 enim, quo fato id eveniat, ut hactenus stipes mea mihi non sit soluta, nec poene spes ulla sit eius aliquando consequendae. Dedi ad regiam maiestatem ea de re literas, dedi et ad te : sed quia tu Budae non eras, regia maiestas quoque nihil prorsus respondit. Ita fit, ut nesciam omnino, quid mihi sperandum aut timendum sit. Quamobrem, mi Sslechta, te precor, ut, si antea mihi nunquam defuisti, quoties saltem opera tua indigui, hoc quoque tempore minime desis efficiasque, quibuscunque modis potes, ne memorata stipe priver. Nosti optime mores regiae maiestatis, nosti 4 conditiones regni, facileque tibi est, ut ego arbitror, excogitare aliquid, quo mihi satisfieri possit, tantumque mihi animi est, ut, ubi

semel literae meae ad te pervenerint, rem hanc confectam existimaturus sim: nempe quum et fides tua benevolentiaeque in me et in rebus agendis prudentia mihi explorata sint. Hactenus mea propria: nunc accipe, quae mihi cum fratre communia sunt: meministi enim forsitan, dum adhuc Budae degerem, regiam maiestatem Cadanensibus scripsisse, ut filio fratris mei se iuramento obstringant, ea tamen lege, ne fratre vivo, alicui alii parere cogantur. Huiusmodi literae cum Cadanensibus redditae essent, moverunt animos eorum, neque ullus erat, qui regiae voluntati parere renueret: sed, ut fit, res neglecta est. Quamobrem precatur frater, ut rursum regia maiestas scribat Cadanensibus, de prioribus literis mentionem faciens, iubeatque, aut, si id verbum durum est, postulet ab eis, ut prioribus suis literis satisficiant: nisi enim spes me fallit, minime optatis regiis adversabuntur. Haec cur frater meus atque ego tanto desiderio cupiamus, facile intelligere potes, si statum patriae et seditiones tumultusque quotidie pullulantes cognoveris. Scis etiam regiam maiestatem promisisse fratri meo, ut in aedificationem arcis Cadanensis 600 sexagenas impendere possit: cum autem hoc tempore eandem arcem non solum structuris, sed etiam muris fossisque munire frater velit, timet, si id attentaverit, ne civium animos, tanquam parum illis fidei habeatur, a se alienet. Quapropter petit, ut regia maiestas iubeat eum suis literis arcem munire et cives ipsos ad civitatem muniendam hortari: neque causae desunt, quando et finitimi principes in armis sunt, et Cubitus nobis vicinus inter Saxones et Bohemos (ut fama est) vacillat. Habes, mi Sslechta, quid a te exigam. Nava mihi hanc operam, et me tibi adeo devincies, ut id verbis explicari non possit. Sit tibi curae stipes mea, sint et literae regiae: maxime, ut his verbis scribantur, per quae auctoritatem habeant, et, si fieri poterit, mittatur ad me earum exemplar. Quodsi nunc ego quoque tibi curam operamque meam pollicerer, superfluum fortassis rem agerem. Hactenus enim ita aetatem duxi, ut nihil ingratitudinis omnino deprehensum sit. Scio praeterea te non esse eum, qui muneribus delectetur: scio studia amicitiasque hominum tibi omni auro gratiora esse. Vale, optime Sslechta, et fac, quaeso, ut intelligam minime te priscam in me benevolentiam remisisse.

91.

Ad Augustinum Moravum.

31. Ian. 1505., ex Hassensteyn.

Domino Augustino Moravo Olo mucensi, regio secretario, s. p. d. Nescio, quid de te dicam, Augustine, aut quo nomine appellem, canemne mutum et latrare nescientem an, ut in Graecorum proverbio est, ranam Seriphiam, qui praeter consuetudinem tuam tanto tempore nullas prorsus ad me literas dedisti. Molestum id fero et huiusmodi remissioris erga me animi indicium non possum non vehementer angi. Accedit his, quod me in expectatio-

nem Plutarchi Graeci erexisti: sed in praesentia, quasi res mutatae sint aut te consilii paeniteat, omnia, nescio quomodo, dissimulas. Neque haec scribo, quod ignorem occupationes tuas: sed miror non dari tibi tantum ocii, ut saltem tria verba ad me scribere possis. Nam quod ad tabellarios attinet, tot quotidie inter Pragam Budamque commeant, ut minime deesse possint, qui literas tuas ad me perferrent. Quid? quod sperabam me tua ope atque industria stipem meam consequuturum? Sed dum tu partim rem negligis, partim forsitan crabrones irritare metuis, id quoque in ventum abiit: quae quam iuste abs te fiant, ipse videris. Scio quidem res humanas instabiles lubricasque esse neque quicquam firmi solidique continere: te tamen, qui a pueritia literis incubuisti et multorum hominum mores et urbes vidisti, constantiorem gravioremque arbitrabar, quam ut amicitiam nostram, a me pure integreque cultam, discinderes. Haec ad te magno cum stomacho scribo: neque fortasse iniuria. Dignus enim es intempestivo hoc tuo silentio vel conviciis ad officium reduci. Quod si tibi omnino non excidimus, et si benevolentiae erga me quippiam adhuc in te est, precor, ut me hac cura solitudineque liberes. Id autem tandem demum facies, cum me certiore reddideris, quid mihi de omnibus his, quae tibi toties a me inculcata sunt, sperandum sit. Vale. Ex Hassensteyn ultima Ianuarii: anno Christi. M.D.V.

92.

*Ad Ioannem de Pibra.**14. Febr. 1505., ex Hassensteyn.*

Ioanni suo de Pibra, officiali apud tabulas regni, s. p. d. Precatus sum nuper a te quaedam ad mensuras agrorum sylvarumque pertinentia: sed quoniam nihil hactenus ad ea respondi, precor rursus, ut tibi curae sint. Agitur enim res mea, et quam cognoscere omnino operae precium est. Quod ad te attinet, vellem, ut nomina officiorum tuorum ad me scribas aut, ut apertius loquar, titulum, quo uteris, mihi significes. Nam praeter nomen familiae caetera suspicor magis, quam scio: id propterea scribo, quoniam daturus sum operam, ut a magnis viris ad te scribatur: quod fortassis rei, de qua agitur, non parum conducet. Ne autem putes me Musas prorsus negligere, accipe hoc tetrastichon: neque mireris, si obscoeniori fortassis, quam par est, similitudine utor, quando non defuerunt, qui morte Africani rempublicam castratam dicerent. Vale. Ex Hassensteyn XIII. Februarii. Anno salutis M.D.V.

Deponit castor testes instante periclo,
Et venatorum sic fugit insidias,
Deponit vitium Castor meus et mala cuncta
Pectoris, et Stygiis sic cavet a laqueis.

93.

*Aa Ioannem de Pibra.**31. Mart. 1505., ex Hasisteyn.*

Ioanni suo de Pibra s. p. d. Quae ad me scripsisti, libenter
legi: sensi enim operam tuam mihi in re Oywiniensi minime de-
fuisse, neque me etiam consilium et institutum eorum patrum of-
fendit: nempe qui rerum divinarum contemplationi dediti, a nobis
profanis utpote sancti ocli turbatoribus semper abhorrent: quan-
quam in hoc forsitan falluntur, quod me ex aliorum moribus iu-
dicant et plus timent, quam timendus sum. Decreveram certe ali-
quantisper apud eos versari: neque valetudini meae tantum, sed
etiam moribus animaeque consulere. Solent enim omnes animo-
rum boni mores ex bonorum hominum consuetudine incrementum
capere, quoniam autem hac spe frustratus sum, aliud mihi diverti-
culum quaerendum est. De Lucae mei interitu forsitan ad te iam
delatum est. Aegre tuli eius casum: delectabat enim me non solum fi-
des probitasque hominis, sed etiam diligentia in his, quae ei man-
dabantur. Accedit huc, quod literae in eo erant (ut apud nostros
fieri solet) minime contemnendae: utebarque eo a manu: sed ce-
dendum est divinae voluntati, quae omnia recte integreque mode-
ratur. De re tua nihil aliud ad te scribere possum, quam quod
paucis ante diebus apud fratrem meum fui audivique ex eo D. Se-
bastianum clam in Franconiam profectum esse et apud tuos pro-
pinquos sua tuaque curare. Vale. Ex Hasisteyn ultima Martii anno
salutis 1505.

94.

*Ad Augustinum Moravum.**2. Apr. [1505.], ex Hassensteyn.*

Domino Augustino Moravo Olomucensi, regio secretario, s. p. d. Quid velim, Augustine, ex schedula epistolae inclusa facile co-
gnoscere poteris. Si enim a regia maiestate literae hoc exemplo ad
Cadanenses dabuntur, spes est pene certa nos, quae cupimus, posse
tranquille consequi. Nam hactenus res ob id dilata est, quod
vulgus ipsum maiori ex parte linguae Boëmicæ ignarum est ne-
que regia mandata commode intelligit, atque idcirco magis dubitat
parere quam recusat, precorque, Augustine, ut mihi fratrique meo
solitam operam naves: neque quicquam absurdum postulamus,
sed aliorum periculis edocti, nobis, quantum fieri posset, consule-
re vellemus. Neque nunc scribo, quantum tibi debituri simus quam-
ve gratiam relaturi: quoniam et tu huiusmodi blandimentis offen-
di videris, et nos opere magis quam verbis tecum agere consti-
tuimus. Quod ad stipem meam attinet, scripsi iterum regiae maie-
stati: eas literas ipse reddes dabisque operam, ut tandem aliquan-
do remotis ambagibus mihi satisfiat. Nam etiamsi pecunia quan-
doque forsitan aderit, nisi causam meam apud regiam maiesta-
tem identidem egeris, prius ad alios quam ad me longe distantem
perveniet. Caetera tibi Franciscus coram referet, cui, quicquid im-

praesentia tecum nomine meo loquetur, fidem habeto. Cyphus tuus 7
Pragae est: timuit enim pericula viarum, atque ideo Ungariam
proficisci noluit. Quid ex eo fieri deinceps velis, Francisco com-
mitte. Vale. Ex Hassensteyn Aprilis 2.

95.

Ad Bernhardum Adelmannum.

9. Iun. [1505.]

Bernhardo suo Adelmanno de Adelmansfelden etc. s. p. d. 1
Binae literae tuae eo mihi gratiores fuerunt, quo tardius ad me
perlatae sunt: nempe quae pridie, quam haec scriberem, redditae
sunt. Admitto autem omnia, quae scribis. Quid enim mihi animo 2
tuo exploratius? neque solum iucundum fuit te in benevolentia
erga me perseverare, sed etiam quia fortunae victor es, quod in
tanta rerum omnium perturbatione admodum difficile est. Accedit
his, quod rumor apud nos ortus est te pontificatum Augustensem
renuisse. Id unusquisque sensu suo accipit: ego vero macte vir- 3
tute esse iubeo, non quod ignorem eum, qui episcopatum desi-
derat, bonum opus desiderare, sed quia provincia tam difficilis in
hac fece hominum vix integre administratur: neque necesse est 4
exempla proferre in re clariore, quam reipublicae Christianae ex-
pedit. Quodsi Ambrosius, Augustinus, Gregorius innumerique alii
moribus nondum adeo corruptis vix coacti episcopalem sarcinam
subierunt, quid hac tempestate faciendum est, qua non minus ca-
nes quam lupi et pastoribus et gregibus infesti sunt? Plato cer- 5
te a Cyrenaeis rogatus, ut ad eos proficisceretur et civitati eorum
leges conderet, recusavit: quod corruptiores iudicabat, quam ut
unquam sub legibus victuri viderentur etc. Vale, mi Bernharde, 6
tibi que persuade nihil mihi tua sincera amicitia gratius acceptius-
que esse. Iunii 9.

96.

Ad Augustinum Moravum.

4. Aug. [1505], ex Hassensteyn

Domino Augustino Moravo etc. s. p. d. Satisfecisti mihi, 1
optime Augustine, neque aliud est, quod hoc tempore abs te ex-
igam, studiumque tuum in rebus nostris atque diligentiam et ego
et frater meus vehementer probamus, neque immemores beneficii
huius erimus, si quid aliquando in nobis erit, quod tibi honori
utilitatisque esse possit, dabimusque operam, ut fertiles agros imi-
temur et tibi cumulatam gratiam referamus. Res quidem Cada- 2
nensis nondum peracta est, utpote ob nonnullas causas hactenus
ne attentata quidem: speramus tamen id, quod cupimus, nos tua
opera propediem confecturos. De stipe mea nihil aliud scribere
possum, nisi eam totam provinciam tibi mandari, precorque, ut 3
in omnes occasiones intentus sis. Forsitan enim Iuppiter aliquan-
do in his locis erit, ut id, quod nobis debetur, a principibus im-
petrare possimus: afferro tamen quasdam novas condiciones, quas

ex scheda lingua vernacula scripta et huic epistolae inclusa facile cognoscere poteris. Cyphus tuus, ut spero, antequam hae literae tibi reddentur, Brunnae apud Franciscum cognomento Freisinger erit: quomodo autem deinceps Budam perferatur, tu curabis. Res Ungariae etsi novae sunt, minime tamen improvisae. Quis enim rerum humanarum vel mediocriter peritus haec non timuit? Deus immortalis omnia secundet. Ego certe quoties nostras seditiones caeterosque mores considero, in eam opinionem soleo interdum adduci, ut damnata Zizcae tempora metuam. Vale, suavissime Augustine, et si quid apud vos memoratu dignum est, quaeso, ad me scribe, facitoque, quod hactenus fecisti, ut opera tua mihi minime desit. Plutarchum, rogo, non negligas, quia eum avidissime expecto. Versus meos, ubi commode excribi poterunt, ad te mittam, non ut legas (quid enim in his tua lectione dignum?) neque ut corrigas (id enim vix spongia aut Vulcanus faceret), sed ut materiam ridendi habeas, quando tibi fortassis nugae Maximiani desunt. Iterum vale. Ex Hassensteyn 4. Augusti.

97.

Ad Ioannem de Pibra.

28. Sept. [1505.], in Hassensteyn.

Ioanni de Pibra s. p. d. Gaudeo iacta tandem fundamenta actionum nostrarum esse, speroque propediem futurum, ut omnia haec et radices altius agant et ad finem, quem cupimus, perveniant. Quod autem ad iter tuum versus Franconiam attinet, tutius consultiusque mihi facturus videris, si profectionem talem distuleris: ita tamen, ut cum minime eo venias, semper venturus videaris: neque difficilis erit morae eiusmodi excusatio, cum tot reipublicae nostrae negociis implicatus sis. Velim tamen interim te principes eius familiae partim frequentibus literis, partim etiam munusculis tibi conciliare. Cur haec scribam, facile intelligere potes. Ubi enim eo profectus fueris, et captiosis (ut colloquiis hominum fieri solet) interrogatiunculis non ex sententia eorum responderis, vereor, ne conatus nostri primum quidem suspecti, deinde invisi, postremo ridiculi sint. Amo te, Ioannes, ex animo, et omnia tua fortunata esse cupio, atque ideo nude ingenueque tecum ago. Tuum est, quae scribo, in dextram partem accipere considerareque pro tua prudentia, quid maxime tuae rei expediat. Vale. Datae in Hassensteyn 28. Septembris.

98.

Ad Bernhardum Agelmannum.

26. Oct. [1505.], ex Hassensteyn.

Bernhardo suo Adelmanno etc. s. p. d. Scribis, mi Bernhard, iurisconsultos, qui apud te sunt, more suo nodum in scirpo quaerere, et in filio fratris mei legitimando multa exigi affirmare: sunt illi quidem similes sui et priscos illos iurisconsultos imitan-

tur, quibus Cicero in oratione pro L. Murena huiusmodi argutias multis verbis exprobrat. Quanquam autem arbitror ex his, quae iampridem ad te scripsi, cognosci, quid frater meus in re filii sui cupiat: quia tamen minime illis satisfactum est et, ut est acumen hominum, omnibus calumniis viam praecludere volunt, gerendus iis mos est. Accipe itaque rem totam breviter: Ioannes de Lobkowicz et Hassensteyn, solutus, diocaesis Pragensis, ex Anna Regenspergerin de Payrreit, diocaesis Pambergensis, similiter soluta, filium genuit nomine Wolfgangum: hunc legitimari cupit, ut ordines suscipere possit, et beneficia tam curata quam non curata habere et unum, et plura, et ut caeteros actus, per legitimos exerceri consuetos, ipse quoque exercere possit. Haec est summa totius negotii. Libros, quos mihi coëmisti, abs te avide expecto (tametsi praeter spem abs te factum est, quod indicem eorum ad me non misisti), expecto item Canones, quibus instrumenta horaria conficiuntur. Tu quoque si quid habere vis ex nostra provincia, libere ad me scribe. Id enim ita mihi gratum erit, ut me abs te singulari beneficio affectum existimaturus sim. Caetera ex scheda epistolae inclusa intelliges. Nos hic variis suspicionibus agitur, acciditque nobis tragicum illud:

Peior est bello timor ipse belli.

Tu de rebus Germaniae aliquid ad me scribe. Vale, suavissime Bernharde. Ex Hassensteyn 26. Octob.

99.

Ad Augustinum Moravum.

11. Nov. [1505.], Hassensteyna.

D. Augustino Moravo s. d. Dedi proximis his diebus ad te literas, quas hoc tempore tibi redditae arbitror: quoniam tamen nihil respondisti, statui iterum et eadem et de eisdem, ut ille loquitur, cum ad te tum ad regiam maiestatem scribere et experiri, si quando tandem animus ille, hac in parte minime regius, flecti et ad officium reduci possit: praecipue cum Laurentius hic cognomine Glatz Pannoniam profecturus esset. Pudet enim me toties frustra monere, neque possum non angi ab homine in alios prodigo stipem debitam negari: maxime cum saepenumero ingentibus sim oneratus pollicitis. Scripseram ad te pridem conditiones quasdam, quibus mihi satisfieri possit: has ubi in praesentia quoque ex Laurentio Glatz cognoveris, regiae maiestati referes agesque, ut mea erga te fides expostulat. Quodsi nulla earum suscipitur, facito saltem, quibuscunque artibus potes, ut regia maiestas ad me scribat iubeatque omnem spem ponere. Pars enim beneficii est, ut dici solet, quod petitur, cito negare. Apud nos omnia plena variis suspicionibus sunt: hactenus tamen timor belli magis quam bellum est. Res Cubitensis aliquantum sopita est, cuius, ut dicam, quod sentio, neque principium neque finis mihi

probatur. Nam et in principio magna hominum pars plus iusto 6
 properatum putat, et finis huiusmodi est, ut omnibus finitimis
 gentibus ludibrio simus. Vale, Augustine, et, si licet, quaeso, ut
 tibi Plutarchus Graecus curae sit. Cupio etiam certior abs te fieri,
 an cyphus, iam pridem ad te missus, tibi redditus sit. Laurentium
 tibi commendo: est enim necessarius meus et multis ultro citro-
 que beneficiis coniunctus, cui etiam, si quid de rebus Ungariae
 me scire vis, quod forsitan literis committere tutum non est, co- 8
 ram referre poteris. Philippus Beroaldus mortuus est. Iterum vale.
 Datae Hassensteynae 11. Novembris.

100.

Ad Ioannem de Pibra.

15. Nov. [1505.], ex Hassensteyn.

Ioanni de Pibra s. p. d. Intellexi ex literis tuis te paruisse 1
 consiliis meis, idque ex sententia cedere gaudeo magnopere, et
 quod cogitationes meae minime me fefellerint et quod res tuae felices sint: atque, ut aperte fatear, omnia, quae hactenus machi- 2
 nati sumus, arbitror nunc primum radices agere, speroque paulo
 post firmiora futura, quam ut subverti atque convelli possint.
 Quae de propinquo tuo Valentino scribis, curae mihi erunt, et ubi 3
 primum copiam avunculi mei nactus fuero, non dubitabo omni
 diligentia eniti, ut desiderio tuo satis fiat. Degit is in praesentia
 apud Moravos, neque spero me id, quod cupis, per literas confi-
 cere posse. Adiicerem his plura, si tu de rebus Pragensibus quip- 4
 piam ad me scripsisses. Caeterum non tam recentia scribis, quam
 priora revocas: unde fit, ut nullam litterarum materiam habeam,
 atque ideo tacere cogar. Vale. Ex Hassensteyn 15. Novembris.

101.

Ad Ioannem de Pibra.

30. Nov. [1505.], ex Hassensteyn.

Ioanni suo de Pibra s. p. d. Parui desiderio tuo et exem- 1
 plar epistolae eius, ut voluisti, confeci: sed, ut aperte fatear, ad-
 modum invitus. Difficile enim vehementer est alieno stomacho dic-
 tare, praesertim ubi is, ad quem res pertinet, abest: neque etiam
 institutum tuum probo. Vereor enim, ne literae Latinae apud illum 2
 propinquum tuum minus, quam speras, gratiae habiturae sint. Quan-
 tum enim coniectura assequi possum, non tam literarum quam
 rerum peritus est. Sed quia id apud vulgus doctrinae nomen ha-
 bet, ideo tibi forsitan suggestum est, ut Latine ad hominem scri-
 bas. Quodsi alios eiusdem familiae respicere velis, magno conten- 3
 derim gratiorem eis in Boëmia consanguineum, qui rebus bellicis,
 quam qui literis praestet, fore. Neque etiam profectionis, quam in- 4
 tendis, laborem te subire velim, nisi animis eorum prius per lite-
 ras exploratis. Scis enim, quid cuidam nostri ordinis contigit, qui
 Florentiam pene simili de causa profectus est. Haec ad te sine ul- 5

lis ambagibus scribo, qui, ut gloria honoreque tuo delector: ita, si res secus, quam speramus, evenerit, ignominia tua pro mea, qua te complector, benevolentia non offendi non possem, malleque haec omnia, pro quibus elaboramus, dubia apud nostros manere, quam in deteriorem partem declinare. Possem his et alias causas addere: sed non possunt omnia tuto literis committi. Quod autem tibi minime praestiti, quae iamdudum pollicitus sum, non mea culpa accidit, sed illorum, quibus id negotium a me datum est. Itaque nunc aliis consiliis mihi utendum est, non minus fortassis rei nostrae quam priora conducentibus. Ea certe sunt tua in me merita, ut tibi opera mea nunquam deesse debeat. Vale. Ex Hassensteyn ultima Novembris.

102.

Ad Bernhardum Adelmannum.

18. Ian. [1506.], ex Hassensteyn.

Bernhardo suo Adelmanno s. p. d. Redditae sunt mihi literae tuae postremae, spero item et libros, quos mihi coëmisti, brevi redditum iri. De filio fratris mei si id effeceris, quod literis scribis, satis mihi erit. Quid in instrumentis horariis conficiendis abs te petam, ex literis ultimo ad te datis cognoscere potuisti. Indicem librorum Graecorum, quos ad me misisti, huic epistolae inclusi: neque quicquam aliud se offert, quod impraesentia te scire velim, cogor etiam brevis esse, quoniam ille, qui Norimbergam proficiscitur, properat. Pestis, quae nunc apud vos grassatur, nobis quoque quotidie propinquat. Itaque, si quis medicus apud vos peritus est, precor, ut modum vitae, qui in pestilentia observandus est, mihi conscribat: precor item, si quid apud vos habetur, quidnam a classe Portugalensi in terrarum situ deprehensum est, ut id mihi exscribi cures. Vale, suavissime mi Bernharde. Ex Hassensteyn 18. Ianuarii. Anno Domini 1506.

103.

Ad Bernhardum Adelmannum.

28. Febr. [1506.], Hassensteyna.

Bernhardo suo Adelmanno s. p. d. Redditae sunt mihi abs te literae, redditae et Canones, quibus horaria instrumenta conficiuntur. His ego maiorem in modum delectatus sum, explevisseque magna ex parte desiderium meum, nisi me in spem erexisses te propediem plura eius generis cultioraque ad me missurum: cui expectationi meae donec satisfeceris, quiescere non possum. Quodsi tibi parum severe et constanter agere videor, scito me nondum ad eum philosophiae apicem pervenisse, quem isti fingunt magis, quam praestant: neque me pudet ea pene aetate, quae nescio, discere, qua et Cato Graecas literas didicit et Socrates ad lyram magistro usus est. Neque fortassis absurdum fuerit ad haec divertere, quae si parum fructuosa, non iniucunda tamen cognitu sunt. Ut

enim malus stomachus et vulgata quoque fastidians: ita et animus
 gravioribus interdum fessius leviora quaeque et cupidius amplecti-
 tur et firmitus continet, redditurque, nescio quomodo, ad alia quo-
 que investiganda promptior atque alacrior. Quod scribis pestem apud
 vos late grassari, graviter patior precorque, ut neque patriae neque
 amicorum amor tibi impedimento sit, quominus valetudini tuae
 quamprimum consulas, ut nos omnes, quos tibi meritis tuis devin-
 xisti, virtute tua atque integritate quam diutissime fruamur. De re
 literaria nihil scribo: quid enim eadem toties repetere necesse est?
 Id solum rogo, ut Suidas Graecus tibi curae sit, quem impressum
 esse certo scis: neque satis mirari possum, quare tanto tempore
 tua opera ad me non venerit. Classis regis Lusitaniae longo iam
 tempore exteriorem Africae oram praeternavigat diciturque et ad
 Indos pervenisse (neque dubito multa in eo tractu nova atque ver-
 teribus incognita deprehensa esse). Quamobrem, si quis tuorum
 Bononiae literis vacat, precor, ut ope Portugalensium, quorum Bo-
 noniae magna copia est, utatur et, si quae iam literis ea de re
 complexa sunt, ad te mittat. Vale. Datae Hassensteynae ultima Fe-
 bruarii.

104.

Ad Augustinum Moravum.

12. Mart. [1506.], ex Hassensteyn.

D. Augustino Moravo s. p. d. Ago tibi gratias, Augustine: facile
 enim intellexi ex literis, quas postremo ad me misisti, operam tuam
 mihi neque defuisse neque defuturam; quoniam tamen in praesen-
 tia Pontenses vicini mei Budae nescio quid negotii habent, sta-
 tui aliena non insania, ut ille loquitur, sed impensa in re mea
 uti, et regiae maiestati iterum de stipe mihi debita scribere. Si enim
 toties obtundendo nihil proficio, multo minus dissimulando tacen-
 doque proficerem: forsitan etiam eveniet mihi, quod mulieri illi in
 euangelio, quae iudicem, qui neque Deum timebat, neque homines
 reverebatur, importunitate sua mollivit. Precor autem, ut literas meas
 regiae maiestati offeras efficiasque, ut mihi satisfiat, aut saltem ut cer-
 tius aliquid rescribatur. Ita denique omnia agas, ut mea erga te fi-
 des expostulat. Id si mihi gratum duntaxat futurum dixerō, minus,
 quam sentio, dicam, neque animum meum expressero. Quamobrem
 tibi potius aestimandum relinquo. Plutarchum Graecum abs te avi-
 dissime expectavi expectoque, qui si adhuc in scriniis latitat, nisi
 opera tua quamprimum inde erutus fuerit, vereor, ne omnis spes
 mea in ventum abeat. Negotium Pontensium tibi magnopere com-
 mendo rogoque, ut, si non apud regiam maiestatem, saltem apud
 te commendatio mea illis prosit. Nugas meas, quas tantopere ex-
 petis, iampridem ad te misissem, si nactus fuisset librum, a
 quo exscriberentur. Sed magna id genus hominum apud nos pe-
 nuria est, praesertim eorum, qui ita scribant, ut carmina scribi par
 est: dabo tamen operam, ubi primum potero, ut voluntati tuae mos
 geratur. Vale, et de rebus Pannoniae aliquid ad me scribe. Ex Has-
 sensteyn 12. Martii.

105.

Ad Bernhardum Adelmannum.

30. Apr. [1506], Hassensteyna.

Bernhardo suo Adelmanno etc. s. p. d. Vix dici potest, Bern-
harde, quam mihi munuscula tua grata fuerint: neque mens variis
solicitudinibus fatigata hoc tempore commodius diverticulum habet.
Id an tibi probetur, nescio. Caeterum si ecclesiasticis¹ latrunculis
ludere licet, ludere licet mihi quoque. Non puto haec mathematica²
interdicta esse, quae non minus ingenium quam latrunculi exer-
cent: quamvis non intendere animum, sed remittere tamen videar.
Et cum Socrates et Scipio adeo a gravitate sua interdum seces-³
serint, ut alterum cum pueris in arundine equitasse, alterum con-
chas in littore maris legisse memoriae proditum sit, me quoque ar-
bitror non inutiliter ad haec, si parum fructuosa, at certe iucunda
cognitu, declinare. Sed nostra excusatio fortassis apud te superflua⁴
est, qui me nosti curiosius talia sectari, quam non solum multi-
tudini imperitae, sed etiam his, qui sibi sapientes videntur, placeat.
Scribis, ut tibi equum mittam, addisque, nescio quae, alia, quae,
ut tibi vere fatear, risum mihi moverunt et, quia in amicitia liber-
tas esse debet, scito: quemadmodum tibi tantum facultatum est, ut
sine me honeste vitam ducere possis (quod ego non solum confi-
teor, sed etiam ex animo gaudeo): ita mihi Dei benignitate licet
exigua munuscula sine detrimento rei familiaris amicis impartiri:
fient tamen omnia, ubi primum occasio dabitur, ex sententia ar-⁶
bitrioque tuo. Malo enim apud ignaros rerum minus liberalis vi-
deri, quam amicum, quem plus omnibus amo, offendere. De re⁷
literaria nihil aliud, quod scribam, habeo, nisi ut tuo more agas.
Quanquam enim hoc tempore quaedam ad me misisti, quae pri-
us quoque miseris, malo tamen te in hanc partem peccare, quam
in libris coëmendis plus iusto timidiorem esse etc. Cupio a te⁸
opera Augustini, quae nuper ad me simul impressa esse scripsisti,
item Suidam Graecum. Vale. Datae Hassensteynae ultima Aprilis.

106.

Ad Ioannem de Pibra.

30. Maii [1506], ex Hassensteyn.

Ioanni de Pibra etc. s. p. d. Consilia tua praesentia mihi¹
probantur et, ut aperte dicam, quae sentio, prioribus longe me-
liora sunt: nuncius tamen displicet. Neque enim is est, ut in re²
tanta et ad hominem tanti nominis abs te honeste mitti posset,
neque est, quod te movere debeat, si prima fronte, nescio quid,
magnum polliceri videtur, quoniam loquacior interdum est, quam
oporteat: adsunt et aliae causae, quarum vel illa potissima est, quod
eius sectae homines in ditione episcopi Herbipollensis, qui hoc
tempore princeps familiae vestrae est, parum accepti sunt. Itaque,³
si res integra tibi est, tutius arbitror mutare institutum: quando
non desunt homines, quorum opera in huiusmodi negotio commo-

dius uti possis. Quod autem me in literis, quas ad fratrem proxime dedisti, caseorum iudicem constituisti, scito in Franconia, pace patriae dixerim, meliores caseos nostris habere: quamobrem¹ abstinendum a talibus muneribus censeo, ne tibi contingat, quod Grecensibus nostris, qui, dum nuper ad regias nuptias Budae similia munera offerunt, ludibrio a Pannoniis habiti sunt. Avunculus meus dominus Georgius de Gutensteyn profecturus erat ad regem Romanorum huic causam tuam non vulgaribus verbis commisi, neque ille dubitavit omnem operam diligentiamque suam mihi tibiue quam liberalissime polliceri, sperabamque aliquid effecturum, quod instituto nostro conducere: sed, nescio quae, nova monstra interim exorta sunt, de quibus cupio abs te latius apertiusque edoceri. Multi enim simulari haec putant ad Pannonios in officio⁶ continendos. Quodsi Augustus principem nostrum, spe pacis concordiaeque tamdiu ludificatum, subito minime simulatis armis aggressus est, nihil aliud habeo, quod dicam, nisi Matthiam regem per Pythagorae palingenesim renatum esse. Quod scribis de quodam libro ad Andream de Scal pertinente, scito fuisse apud me quendam Zacensem, qui eundem librum sibi vendicabat et se dominum eius affirmabat, cui cum precium pro libro obtulissem, deliberaturum se dixit, nec quicquam interim actum est. Itaque, si fieri⁸ potest, facito, precor, ut iusto precio persoluto liber apud me maneat. Vale. Ex Hassensteyn 30. Maii.

107

Ad Ioannem Lachner.

14. Iun. [1506.], ex Hassensteyn.

Ioanni Lachner s. p. d. Amasti me, Ioannes, antequam nosceres, neque id meritis meis, sed humanitate tua accidit: arbitror autem et tibi cognitum, quo erga te animo sim. Caeterum ut plantae novellae, etsi coalescant, nisi tamen subinde rigentur ablaqueenturve, et arescunt et nullos fructus ferunt: ita et recens amicitia, ubi nullo commercio renovatur, facile senescit extinguiturque. Atque adeo, quoniam dulcissima tua consuetudine frui et mutuum³ amorem longo usu atque familiaritate stabilire firmareque non licet, volui paucis his ad te scribere, ut literis meis quasi quibusdam stimulis admonitus, et perseveres in benevolentia erga me et amicitiam semel coeptam constanter colas. Id si praestiteris, non solum mihi satisfactum erit, sed etiam novo me beneficio cumulatum⁴ putabo. Ut enim ingenue simul et urbane tecum agam, malo virtus doctrinaque tua et suavissimi mores me sanum delectent, quam infirmum et adversa valetudine laborantem ars operaque salvet. Vale, optime Ioannes. Medicinis, quas mihi adversus pestem⁵ misisti, hactenus parum usus sum, quia loca nobis vicina nondum infecta peste fuerunt: nunc autem ea lues circumcirca serpit potius, quam saevit. Itaque, si quid habes, quod huic malo obstat⁶ possit, facito, ne mihi opera tua desit. Quicquid autem impenderis, Ioannes in Hof solvet. Iterum vale. Ex Hassensteyn 14. Iunii.

108.

*Ad Augustinum Moravum.**14. Aug. [1506], ex Hassensteyn.*

Domino Augustino Moravo Olomucensi etc. s. d. Quid abs 1
 te exigam quave in re, optime Augustine, tua opera uti velim, ex
 schedis, quas frater meus ad me misit, quasque ego huic episto-
 lae inclusi, cognosces, precorque maiorem in modum, ut his malis 2
 obviam eas: equidem etsi Cadanensium consilia nescio, nihil
 tamen boni suspicari possum. Vereor, ne in quotidianis huius pro-
 vinciae motibus cogitationes eorum aliorum, quam in praesentia
 credi possit, spectent, forsitanque cautius erit nos aliorum exem-
 plis edoctos novis his conatibus, dum licet, ob stare, quam pati,
 ut malum nascens inveterascat: neque video haec omnia tranquil- 3
 lius sopiri posse, quam si effeceris, ut regia maiestas in eam,
 quam cupimus, sententiam cum fratri meo tum ipsis Cadanen-
 sibus scribat. Eveniet enim forsitan, ut qui nostris admonitioni- 4
 bus locum non relinquunt, regiae auctoritati cedant: aut, si id
 utique parum ex sententia procedet, non indignabitur sua maie-
 stas, si ius nostrum, quibuscunque modis poterimus, tuebimur.
 Haec paucis ad te scribo: quid enim necesse est locis commu-
 nibus amplificationibusque apud te uti, cuius erga me animum
 innumeris iam indiciis perspexi? Caeterum etsi tibi ego fraterque 6
 meus multa debemus, idque plane ingenueque confitemur: cumu-
 labis tamen omnia, si ea, quae petimus, tua cura atque industria
 fuerimus consecuti. De stipe mea quod dicam in praesentia, pror- 7
 sus nescio: conieceras enim me in spem quandam literis, quas
 postremo ad me dedisti: sed eam quoque hoc tempore evanuisse
 video. Mentionem autem eius rei in tanto luctu facere vereor, ne
 nihil aliud sit quam afflicto, ut dici solet, afflictionem addere.
 Quoniam tamen audio multa millia boum in natali regionum pue- 8
 rorum solere conferri, da operam, si tibi videtur, ut saltem bo-
 bus mihi satisfiat. De Plutarcho Graeco adeo obmutuisti, ut ipse
 quoque eandem rem tibi toties inculcare erubescam: quanquam
 vix quicquam sit in re saltem literaria, quod hoc tempore malim.
 Vale. Ex Hassensteyn 14. Augusti.

109.

*Ad Bernhardum Adelmannum.**29. Aug. [1506], Hassensteyn.*

Bernhardo suo Adelmanno s. p. d. Etsi arbitror nondum te 1
 ex Gallia sive, ut nunc loquimur, Germania inferiore rediisse, nac-
 tus tamen in praesentia tabellarium volui ad te scribere, ne in
 patriam reversus, ubi literas meas minime invenires, et aegre feras
 et negligentiam meam rursus accuses: maxime cum literae tuae,
 quas postremo ad me dedisti, nescio quid timere te sollicitumque
 esse innuant potius, quam significant. Caeterum ego huius tui ti-
 moris solitudinisque causam suspicari coniecturaque assequi mi-
 nime possum. Nam quod ad equum attinet, scripsi ad te pridem 3

operam meam tibi nequaquam defuturam : interim autem dum audirem te in Galliam profectum esse, rem non tam neglexi, quam in adventum tuum distuli, gesturus desiderio tuo morem, cum primum reversus fueris : neque hoc tempore alius mihi animus est. Quodsi quid aliud est, quo offenderis, facito, ut nude ingenueque 4 mecum agas, et, si quid per imprudentiam me deliquisse sensero, non dubitabo veniam petere et tibi ex sententia tua satisfacere : quippe cum huiusmodi tuae sollicitudines tacitaeque suspiciones magis me angant quam aliorum apertae inimicitiae iniuriaequae. Libri, quos mihi misisti, una cum Suida iam dudum 5 optato mihi fideliter redditi sunt. Reliquos, de quibus scribis, ea, qua soleo, aviditate expecto. Vale, dulcissime Bernharde, et, si quid in Gallia dignum memoratu cognovisti, fac me certiore. Datae Hassensteyn 29. Augusti.

110.

Ad Augustinum Moravum.

15. Sept. [1506.], Hassensteyna.

Domino Augustino Moravo etc. s. p. d. Non sum tam in- 1 sanus, Augustine, ut in hoc acerbissimo luctu vestro stipis meae mentionem facere audeam ; quoniam tamen Cadanenses in praesentia Budam proficiscuntur, existimavi minime me propterea importunum fore, si non tam regiam maiestatem monuero, quam tibi suggessero, ut memineris mei, si quando sese obtulerit occasio. Nam etsi nunquam mihi dubium fuit, quo erga me animo 2 sis : vereor tamen, ne sub tanta rerum mole vix interdum ad leviora haec divertere possis. Qua in re si fallor, gaudeo precorque, ut hanc meam ineptam forsitan timiditatem aequo animo feras. Ut enim aperte fatear, cum superioribus diebus in eam spem 3 abs te coniectus essem, quasi ad diem Divi Georgii mihi stipes mea solvi deberet, non possum non mirari me nullas prorsus ea de re tanto tempore abs te literas accepisse : hanc tamen culpam 4 tuam, sed quam saltem facile emendare poteris, si vel hoc tempore operam tuam mihi saepe promissam navaveris. Audio enim in nativitate regii pueri magnam vim boum regiae maiestati collatam esse, quibus fortassis mihi satisfieri posset, si quis commodum tempore ea, quae ad stipem meam pertinent, regiae maiestati identidem inculcaret. Sed quid in sylvam ligna fero ? neque 5 aliud est haec me ad te scribere, quam aures tuas frustra obtundere. Itaque hoc solum abs te precor, ut in hoc toto negotio id agas, quod e re mea esse putaveris. De Plutarcho Graeco adeo obmutuisti, ut ipse quoque eadem de re toties ad te scribere erubescam : quoniam tamen lunone extincta res ad Iovem redierunt, 6 fac, si fieri potest, ut desiderio meo morem geras. Nihil enim in re literaria est, quod hoc tempore malim. Vale, optime Augustine, et aliqua de rebus Hungariae ad me scribe. Cadanenses tibi com- 7 mendo et, ut abs te benigne excipiantur humaniterque tractentur, etiam atque etiam rogo. Datae Hassensteynae 15. Septembris.

111.

Ad Bernhardum Adelmannum.

3. Oct. [1506.], ex Hassensteyn.

Bernhardo Adelmanno s. p. d. Molestum mihi est silentium¹ tuum, Bernharde, non quod verear, ne quid ex benevolentia erga me remiseris (quid enim mihi animo tuo exploratius?), sed quia ex eo tempore, quo in Galliam profectus es, neque aut ex literis tuis aut saltem fama, an in patriam reversus sis, cognoscere potui: unde fit, ut, dum peregrinantium casus, viarum pericula et, quod² maxime me terret, pestilentiam in pluribus Germaniae locis saevientem considero, tibi non timere minime possim. Scis enim hunc amantium morem esse, ut semper ad deteriora suspicanda proniores sint. Accedit his, quod Ioannes quoque in Hof ita obmutuit,³ ut ex corvo Seriphia rana factus videatur. Itaque etsi spero omnia se recte habere: donec tamen literas abs te accepero, animo quieto tranquilloque esse nullo modo possum. De re literaria ultra⁴ ea, quae iampridem tibi inculcata sunt, nihil in praesentia, quod scribam, habeo: precor duntaxat, ut is sis, qui hactenus fuisti, maxime si quae volumina Graeca in lucem prodierunt. Nam cum Aldus tum alii in praefatiunculis multa polliciti sunt, quae ad me nondum pervenerunt. Equum, de quo iampridem ad me scripsisti, tum tibi mittam, cum ex Gallia reversum cognovero, significaverisque mihi, Augustamne an Eystaviam eum mitti velis. Quodsi⁶ res patriae meae cognoscere vis, scito omnia ad arma spectare, et nisi pestilentia, quae iam vicinas regiones populatur, nostras seditiones cohibuerit, vix fieri potest, quin intestinum bellum proximo vere habituri simus, et quoniam pestis nobis imminet, precor,⁷ ut ex sententia alicuius medici, quorum magnam copiam apud te esse audio, ad me scribas, quibus medicamentis, quo victu, quave diligentia huiusmodi lues arceri possit: facies autem certiores⁸ Ioannem in Hof, quidnam mihi ex officinis medicorum mittere debeat. Vale, optime suavissimeque Bernharde. Est fama apud nos quendam prodigiosum puerum Florentiae natum esse: si quid ea de re compertum habes, facito, ut ad me scribas. Iterum vale
Ex Hassensteyn 3. Octobris.

112.

Ad Ioannem Lachner.

3. Oct. [1506.], ex Hassensteyn.

Ioanni Lachner, philosopho et medico, s. d. Literae tuae,¹ quas superioribus diebus ad me dedisti, magnam mihi voluptatem attulerunt: nam et ea scribis, quae valetudini meae conducunt, et omnem insuper operam perquam liberaliter polliceris. Id mihi autem² eo gratius est, quoniam tibi prorsus incognitus sum. Solet enim, nescio quomodo, accidere, ut beneficia, quae praeter spem in nos conferuntur, acceptiora sint illis, quae nobis deberi putamus, unde fit, ut hoc tuo in me animo fortunatum me iudicem: nempe qui ab adolescentia ita vitam institui, ut non tam regum³

principumque favor quam bonorum et eorum, qui aliquod virtutis et doctrinae specimen prae se ferunt, familiaritas amicitiaque me delectaverit, velimque, ut ex hoc tempore omnia a me et expectes et iure tuo exigas, eum denique me esse censeas, qui tibi plurimum afficiatur. Precor autem, ut haec perinde accipias, atque a me scribuntur. Neque enim ex eorum numero sum, qui aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum habent, quos Homericus Achilles se magis inferni portis detestari ait. Caeterum ut mea beneficia nemini exprobrare soleo: ita aliorum erga me merita passim praedicare minime erubesco, maloque interdum in amicis colendis modum excedere, quam plerisque naturae consuetudinisque meae ignaris parum gratus videri. Vale. Medicinas adversum pestem, quas ad me misisti, arbitror nunc vires vetustate amisisse. Itaque precor, ut alias eius generis, aut si quid aliud salutare mihi putaveris, rursum mittas. Ioannes autem meus in Hof et pecuniam pro medicinis impendet et ad me perferri curabit. Quod enim scripsisti misisse te mihi eiusmodi medicinarum receptas, scito nullam earum ad me pervenisse. Haec si abs te impetravero, magnum coepatae nostrae amicitiae incrementum praebebis; iterum vale Ex Hassensteyn 3. Octobris.

113.

Ad Augustinum Moravum.

14. Nov. [1506], Hassensteyna.

D. Augustino Moravo s. p. d. Scribit frater meus, nescio quae, regiae maiestati: quid cupiat velitque, non est necesse apud te commemorare, quandoquidem certus sum eius ad regiam maiestatem literas in tuas manus perventuras. Commendo tibi duntaxat causam fratris, imo utriusque nostrum (neque enim unius ex familia calamitas aut periculum ad reliquos non pertinere potest) nisi etiam fallor, et aequa postulamus et minime negligenda. Non enim forsitan tutum est castella huiusmodi ita munitionibus circumdari, ut deinceps in populorum magis potestate quam regia sint: hoc praesertim tempore, quo omnia ad seditionem spectant. Facito itaque, precor, ne iustissimo nostro desiderio desis: nam et merita tua in me cumulaveris et utrumque nostrum ex devincto devinctiorem reddideris. De stipe mea in praesentia taceo. Cum enim ad ea, quae ad te per Cadanenses scripsi, nihil responderis, arbitror te abiecisse spem rei perficiendae. Vale, humanissime Augustine, facitoque omnino, ne tabellarius sine literis tuis ad nos redeat. Datae Hassensteynae 14. Novembris.

114.

Ad Bernhardum Adelmannum.

24. Dec. [1506.], ex Hassensteyn.

Bernhardo suo Adelmanno etc. s. p. d. Libri, quos mihi misisti, et tres epistolae diversis tamen temporibus abs te mihi reditae sunt. His ego admodum delectatus sum: nempe qui quoties

litteras tuas accipio, tecum mihi colloqui videor, illud tamen mole-
 stum fuit, quod negligentior tibi in equo emendo videor, quam aut
 ipse velis, aut nostra mutua amicitia exigat. Ego vero, Bernharde, bona
 fide affirmare possum me nihil praetermisisse, quo tibi morem
 gerere possim. Caeterum equorum, qualem abs te expeti arbitror,
 hoc est, qui neque praeferox, neque omnino degener sit, tanta in
 praesentia apud nos penuria est, ut precium eorum pene gemina-
 tum sit: hoc quoque tempore, quo haec ad te scribo, omnia fi-
 nitima loca a familiaribus meis circumeuntur, speroque intra pau-
 cos dies et fortassis citius, quam hae litterae ad te perveniant,
 me tuo desiderio satisfacturum, precorque, ut deinceps meliora de
 me speres, quam quod in rebus tuis negligens esse velim. Fateor
 enim omnia me tibi debere beneficiisque tuis in me nulla ex parte
 referre posse gratiam: paratus sum tamen omnia praestare, quae
 possum, et nihil eorum negligere, quae tibi cordi esse existimo:
 desine solum animum meum turbare et ea ad me scribere, quae
 me anxium reddunt sollicitumque, ne quid adversum te, quem ma-
 xime omnium amo, delinquam. De re literaria illud identidem peto,
 quod iam pene millies petivi, hoc est, ut is sis, qui hactenus con-
 suevisti. Vale, suavissime Bernharde. Ex Hassensteyn: 24. Decem-
 bris.

115.

Ad Ambrosium Chrt de Pilzna.

30. Ian. [1507.], ex Hassensteyn.

Domino Ambrosio Chrt de Pilzna, administratori archiepi-
 scopatus ecclesiae Pragensis, s. p. d. Franciscum cognomine Schneit-
 tel de Tachovia, qui pluribus annis in familia mea versatus est,
 frater meus ad ecclesiam Magnae Villae pro plebano praesentavit.
 Is ob eam causam quamprimum ad ordines promoveri et sacer-
 dotum numero adscribi cupit: quod ego non solum non repre-
 hendo, sed etiam magnopere laudo, et pium sanctumque iudico.
 Quia tamen hoc tempore non possum eo commode et sine detri-
 mento carere, utpote qui proxima quadragesima fide eius consue-
 taque opera in multis usus sum, precor, ut id, quod instituit,
 liceat ei tua cum venia differre, quoad ipse rebus meis per alium
 consulere possim. Arbitror autem haec aequum esse me abs te
 impetrare: nam rem mihi quidem perutilem, nemini autem omnino
 damnosam facies. Quod enim ad ecclesiam, cui praefuturus est,
 attinet, non minus per substitutum quam per se ipsum Franciscus
 plebeculae illi interim providebit, neque etiam ullos fructus sibi
 ex proventibus eiusdem ecclesiae vendicabit, donec ad sacerdotii
 ordinem promotus fuerit, quae omnia ex eo plenius cognosces.
 Ego certe, pater Ambrosi, tibi pro nostra veteri amicitia omnia me
 debere confiteor, multo tamen obligatiorem putabo, si in praesen-
 tia precibus meis apud te locus erit. Vale. Ex Hassensteyn penul-
 tima Ianuarii.

116.

*Ad Casparum de Tachovia.**30. Ian. [1507.], ex Hassensteyn.*

Domino Casparo de Tachovia, artium magistro et canonico 1
ecclesiae Pragensis, s. p. d. Veniet ad te Franciscus Schneyttel de
Tachovia, artium baccalaureus, familiaris meus, opem consiliumque
abs te petiturus. Is in familia mea multo tempore fuit, atque ita
se gessit, ut nihil ei obiici atque exprobrari possit: quo fit, ut ei 2
multum debeam, atque ideo tibi hominem plurimum commendo
precorque, ubi ad te venerit, ut eum benigne humaniterque exci-
pias atque audias. Quanquam autem scio te iampridem de Fran- 3
cisco et optime sentire et honestissime loqui, facito tamen, ut com-
mendatio quoque mea ei apud te adiumento sit et ut, quae sponte
in eum collaturus eras, precibus meis illectus, cumules. Id mihi 4
perinde, ut aequum est, gratum acceptumque erit, meque tibi prop-
terea non parum obnoxium reddes. Vale. Ex Hassensteyn penul-
tima Ianuarii.

117.

*Ad Casparum de Tachovia.**8. Febr. [1507.], ex Hassensteyn.*

Domino Casparo de Tachovia canonico ecclesiae Pragensis, 1
s. p. d. Cepi ex literis tuis non parvam voluptatem: nam et iu-
cundum fuit ea, quae volui, abs te impetrasse et humanitate tua,
qua mihi adeo liberaliter omnem operam tuam polliceris, non de-
lectari non potui. Precor autem, pater Caspar, ut ipse quoque ex 2
hoc tempore omnia a me iure tuo exigas, putesque me eum esse,
qui tibi ex animo afficitur: cuius rei si quando periculum feceris,
cognosces me ex eo numero esse, qui non tam turpe iudicant ab
hostibus armis quam ab amicis benevolentia officiisque superari.
Ab adolescentia certe ita vitam institui, ut cum omnes studiosos 3
mei tum imprimis eos, qui aliquod ingenii doctrinae virtutisque
specimen prae se ferunt, amem et omni cultu observantiaque pro-
sequar. Quod autem scribis Pragae ludos quosdam spectaculaque 4
parari et ea fieri, quae ad vulgus deliniendum spectant, parum
mihi probatur. Manifestum enim est, quorsum ea tendunt. Caeterum,
ut inquit ille, qui errore imperitae multitudinis pendet, in magnis
viris non est habendus. Magnum huic homini ingenium est, multa 5
rerum nostrarum peritia, eloquentia non insuavis, mira praeterea
ars ad animos hominum conciliandos, dignusque omnino esset,
cui opes honoresque, quos tanto studio expetit, contingerent, nisi
blandienti fortunae plus iusto interdum fideret, et dotibus naturae
magna ex parte, ut fama est, abuteretur. Sed innumera quoque 6
alia quotidie in hac provincia committuntur, quae censore indige-
rent, et ad ea, quae rex haereticus totis viribus prohibebat, rex
Christianus, nescio quomodo, dormitat, vereorque, ne haec affec-
tata benignitas, qua nobis adeo placemus, in magnam et reipu-
blicae et religionis perniciem aliquando erumpat. Sed haec sinamus 7

valere, quoniam unusquisque Domino suo stat aut cadit, et non caret periculo eos, qui faenum in cornu habent, offendere. Vale. Ex Hassensteyn 8. Februarii.

118.

Ad Augustinum Olomucensem.

26. Febr. [1507.], ex Hassensteyn.

Augustino Olomucensi s. p. d. Literae tuae, Augustine op- 1
time, iucundae mihi simul et molestae fuerunt. Gaudeo enim a
regia maiestate tua potissimum, ut ego sentio, opera mihi satis-
factum esse: aegre autem fero eos, de quibus bene meriti sumus,
nescio quid, adversum nos conari, qui quanquam nihil eorum,
quae optabant, assecuti sunt, prodiderunt tamen cogitationes suas
et, quo animo erga nos sint, ostenderunt. Quod ego propterea 2
gravius patior, quoniam vicinus sum et, quae agantur, quotidie
prospicio, nihilque adverto aut factum esse aut fieri, ut quippiam
huiusmodi moliri iure possint: non blanditurus profecto fratri, si
quid praeter ius fasque tentaret. Scis enim me ut minime ad nor- 3
mam absolutum, ita non omnino malum neque a iusticia et aequi-
tate prorsus alienum esse. Caeterum accidit illis, quod vulgo solet.
Imperita enim multitudo, utpote novitatum avida, facile huc et illuc
impellitur, neque unquam praesenti rerum statu contenta est et,
ut ille ait, dominisque gravantur, quos odere magis. Spero tamen 4
fore, ut haec omnia in magistros suos recidant. Neque dubitabi-
mus opera tua, quam nobis adeo liberaliter polliceris, ubi res ex-
iget, fidentissime uti, enitemurque, ut amicorum ope atque consi-
lio et nobis consulamus et cornua rebellium confringamus. Interim 5
tuum erit, si quid tale ad regiam maiestatem delatum fuerit, cu-
rare, ne, quod omnium gentium atque nationum legibus interdic-
tum est, inauditi iudicemur. Quod autem epigrammata mea et cae- 6
tera id genus a me rursus exigis, vehementer miror: nam cum
tibi omnia debeam, hoc unum, si fieri possit, negare vellem ob
eam duntaxat causam, quod me nugarum mearum pudeat. Neque
enim miniatula cera, sed spongia indigent: quoniam tamen ita 7
vis, perfricanda est frons, sed ea lege, ut non censorem, sed ami-
cum patronumque te mihi praestes et impudentiam meam tuae
pertinaciae adscribas. Facito solum, ut Plutarchus quamprimum
Pragam perveniat, et ego vicissim curabo, ut isti tuae importunae
cupiditati propediem satisfiat. Vale, optime mi Augustine. Ex Has-
sensteyn XXVI. Februarii.

119.

Ad Ioannem de Keyzersberg.

16. Mart. [1507.], Hassensteyna.

Clarissimo viro domino Ioanni de Keyzersberg etc. s. p. d. 1
Literae, quas ad me dedisti, etsi perbreves fuerunt, mirifice tamen
me delectarunt. Intellexi enim ex his nihil te ex veteri affectu er-

ga me remisisse neque tantam locorum temporumque intercapedinem efficere potuisse, ut mei oblivisceris. Id mihi perinde, ut debet, gratum acceptumque est: subiit etiam simul memoria Petri mei Schotti, cuius dulcissima consuetudo atque familiaritas semper haeret haerebitque animo meo, atque adeo, ut vel in adversis eius meminisse mihi solatium sit. Te autem precor, ut per-
 veres in hoc de me iudicio meque dignum existimes, quem in
 numero tuorum habeas: si enim id impetravero, fortunatum me
 arbitror et amicitiam tuam omnibus Croesi Sardanapalique di-
 vitiis anteponom. Spero enim futurum, ut Dominus immortalis tuis
 santissimis precibus vincula peccatorum meorum dissolvat et in-
 ter regulos scorpionesque degentem sua dextera protegat et tuea-
 tur. Peius enim, quam quisquam credere possit, res huius pro-
 vinciae se habent: non solum quod domesticis seditionibus labo-
 rantes externum quoque bellum, ubi vicinae nationes paululum quie-
 verint, timemus, sed etiam, quod tot haereses quotidie pullulant,
 ut tempora illa Ioannis Hus et Wiklefi, quae avi nostri tantopere
 detestati sunt, nostris comparata, aurea fuisse videantur: neque
 tamen his malis ullum adhibetur remedium. Nam et pastores, quos
 pro grege Domini excubare oporteret, impares se tantae invidiae
 iudicant, et principes praesenti rerum statu contenti atque oco
 voluptatibusque marcentes, non modo perniciosissimum hunc ignem
 extinguere negligunt, sed etiam luporum, adversus quos more
 generosi canis certare aequius foret, pellem saepenumero indu-
 unt. Vehementer haec me angunt, et cum patriae calamitatibus tum
 Christianae religionis periculo non ingemescere non possum. Iu-
 vencus, quem mihi misisti, etsi iampridem alius ad me ex Italia
 perlatus est, gratus fuit, neque etiam est, cur de Alchorano soli-
 citus sis: quoniam is mihi dudum opera Bernardi Adelmanni mei
 exscriptus est. Vale, mi optime atque dignissime pater. Commendo
 autem me tuis pientissimis orationibus, commendo item ad-
 olescentem, qui has literas ad te defert, si saltem se dignum exhi-
 buerit amore tuo: est enim meae ditionis. Datae Hassens'eynae
 XVI. Martii.

120.

Ad Bernhardum Adelmannum.

23. Apr. [1507.], in Hassensteyn.

Bernhardo suo Adelmanno s. p. d. Non est necesse his, quae
 ad me postremo scripsisti, respondere, suavissime Bernharde: ex-
 cusare enim me apud eum, qui omnia mea in dextram par-
 tem accipit, superfluum est. Illud solum dixerim equum tam
 diu abs te expetitur prae manibus esse iturumque fuisse ad te,
 nisi literis tuis factum esset, ut, nescio quas, tuas tacitas suspi-
 ciones pertimescerem; deinceps tamen omnia fient tuo arbitratu,
 ubi primum animum tuum cognovero. Possum enim tibi bona
 fide affirmare molestissimum mihi fuisse, quod tanto tempore ar-

dentissimo tuo desiderio morem gerere non potuerim, nihilque magis timuisse, quam ne negligentia mea id fieri existimes, nempe qui me ita tibi beneficiis tuis devinxisti, ut in rebus tuis negligentem esse nefarium sit. Ptolemaei Almagestum, in cuius spem⁴ me coniecisti, avidissime abs te expecto precorque, ut caetera quoque tibi curae sint. Audio enim multa et Graeca et Latina, quae hactenus latuerunt, in lucem prodiisse. Vale et, si quid de Germania inferiore conpertum habes, fac me certiore. Nam fama⁵ est omnia illic et armis strepere et ad Gallos spectare et, nisi Augustus noster quamprimum suis opem tulerit, actum de eius imperio in illis provinciis esse. Apud nos certe ita pax est, ut belli semina in dies magis ac magis iaciantur. Datum in Hassensteyn XXIII. Aprilis.

121.

Ad Bernhardum Adelmannum.

12. Maii 1507., Hassensteyna.

Bernhardo suo Adelmanno s. p. d. Quod pontificis tui nomine in conventu Constantiensi legati officio functus es, laudo et gaudeo. Spero enim laborem hunc tuum non sine fructu fuisse: nam et virtutem industriamque tuam novi et scio, quantum integritate vitae apud omnes bonos auctoritatis consecutus sis. Neque² est, cur te ipsum accuses, quod domesticae quieti rempublicam anteposueris. Non enim solum nobis, ut Plato ait, nati sumus, sed ortus nostri partem sibi patria, partem amici vendicant. Multi etiam magni viri argutiis scholae intermissis simile munus obierunt. Quis enim nescit tres illos Atheniensium legatos, qui diverso eloquentiae genere ora totius populi Romani in se converterunt? Et Anaximenes, diligentissimus naturae investigator, ad Alexandrum missus, patriam dicto non minus urbano quam vafro ab interitu liberavit. Plato quoque, ne eum praecepisse tantum putes, academia relicta Siciliam navigavit, et Dionem talem, qualis fuit, reddidit, et Dionysii perversos mores, quantum potuit, corrigere atque emendare conatus est. Quin ipse voluptatis assertor Epicurus accedendum ad rempublicam homini sapienti, si quid intervenerit, arbitrabatur. Certe in initio nascentis ecclesiae apostoli Domini⁵ mauerunt per gentes nationesque vagari et doctrinam magistri omnibus inculcare populis quam aut de quatuor paradisi fluminibus Hierosolymis disputare aut vanis quaestionibus, quibus hoc tempore vel reluctantante populo omnes religiosorum scholae plenae sunt, animos occupare; qui si Antonii Macarii solitudinem, quam ego⁶ minime reprehendo, imitari voluissent et eremi duntaxat vastitate delectari, nunquam Christiana pietas aut tam alte radices egisset, aut tot palmites germinaque, quae quotidie cernere licet, produxisset. Neque oportet nunc mihi consuetudinem meam exprobrare, qui, etsi ocio literario ab ipsa adolescentia plurimum tribuerim,

nunquam tamen eo dementiae progressus sum, ut nos ignavum genus et qui tantum tecto gaudemus et umbra, his, qui rempublicam administrant, conferendos iudicem: nempe qui neque hoc, quo adeo delectamur, ocio frui possemus, nisi illorum ope atque auxilio ab iniuria et maleficio defenderemur. Iustum autem est, ut virtutes, quas ipsi forsitan per socordiam assequi non possumus, saltem in aliis admiremur: neque tamen negaverim eos, qui aut imbecilla valetudine sunt, aut natura ad res agendas parum idonea, sapientius a republica abstinere quam ingerere se negotiis, quibus non sufficiunt. Nam et Isocrates ideo Ephorum a foro abduxit, quod aptiorem componendis historiarum monumentis quam foro existimaret. Tibi vero, qui corpore firmo es et ingenio prudentiaque singulari, aetate autem ea, quae maxime ad consultandum viget, vereor, ne vix honestum sit ita in literis latere, ut nihil ex his ad publicam utilitatem afferas. Quod enim ad me attinet, et pontificis tui consilium probo, quod te in eum locum misit, ubi vim animi ingenique tui ostendere possis, et ecclesiam Eystetensem fortunatam censeo, quae res suas tuae fidei patrociniisque commisit. Haec ad te breviter perstringere libuit: neque enim ferre potui te in hoc solo, pace tua dixerim, insanientem, quod te cum insanis insanire scribis, quando potius medicus ad aegrotos profectus es, ut navare his operam valetudinique eorum mederi posses. Malui etiam, quoniam me vetas de re literaria ad te scribere, novum hoc et inter nos minime frequentatum epistolarum genus arripere quam tacere. Vale, suavissime mi Bernharde, et quae in conventu Constantiensi decreta sunt, facito me certiores. Datae Hassensteynae 12. mensis Maii. Anno Domini 1507.

122.

Ad Bernhardum Adelmannum.

14. Iun. [1507.], ex Hassensteyn.

Bernhardo suo Adelmanno s. p. d. Etsi arbitror te nondum ex Constantia rediisse: quoniam tamen mihi rumor, et qualis neque in parietibus pictus neque in poematis unquam lectus est, apud nos percrebruit, statui aliquid ea de re ad te scribi oportere. Ait enim Romanum praesule penitus ad Gallos spectare neque eo contentum, quod praeter omnium pontificum, qui recte integreque ecclesiae praefuerunt, consuetudinem in partes declinat, parare etiam hanc qualemcunque Romani imperii umbram in Gallorum gratiam Germanis auferre. Id vero omnia monstra mihi exuperare visum est. Quae enim natio aequae Germanis de Romanis pontificibus merita est? cuius auxilio eorum opes magis creverunt atque auctae sunt? Certe si Ottones, Henricos Rudolphosque sustuleris, ecclesiastica ditio ad qua uor iugera redigetur: nisi quis forte ad vulgatam illam Constantini fabulam et ab omnibus historiarum peritis uno ore reiectam confugere velit. Denique quis

aut religionis amantior aut pontificum auctoritati obsequentior aut
 ad comminationes ecclesiasticas flexibilior unquam fuit? ut non
 solum iniquum, sed etiam, si licet, ut isti loquuntur, os in coelum
 tollere, stultum sit hanc bene merentibus gratiam referre. Equidem 6
 quanquam privata vita et literario ocio inprimis delector et a re-
 publica, quantum fieri potest, abstineo, atque ob id parum ad me
 attinet, aterne an albus imperator sit, non possum tamen pro meo
 in Christianam pietatem animo non anxius sollicitusque esse. Ve- 7
 reor enim, ne igniculus hic (nam maior res agitur, quam ut scin-
 tilla appellari debeat) incendium tale excitet, quod a futuris quo-
 que pontificibus vix extingui possit. Ablato olim iustis de causis, 8
 ut omnibus iam persuasum est, Graecis imperio ingens illud dis-
 sidium inter Graecos Latinosque seculum est, quod deinde totum
 Orientem secum traxit, dum Byzantii imperatores ulturi, ut ipsi
 putabant, iniuriam, et patriarcham suum extollere et omnia in per-
 niciem ecclesiae Romanae agere conantur. Hoc quoque tempore 9
 Graeci, Syrii, Armeni, Hyberi et quicquid earum gentium est, longe
 mihi miseres videntur, quod superstitionibus quam quod barbaris
 serviunt. Neque ego negaverim Germanos solidiores constanti-
 oresque in religione esse, minimeque cum Graeca levitate confe-
 rendos. Caeterum si effeminata haec gens et, ut ille loquitur, lingua 10
 magis quam manu prompta, tantos motus laesa excitavit, quid
 facturos censes nostros homines, si tam insigni contumelia exasper-
 ati fuerint, qui et a natura feroces sunt et ius suum armis magis
 quam verbis persequi consueverunt? Nam et principes nostri tur- 11
 pissimum putabunt dignitati suae deesse, et decus hoc non solum
 periculis et laboribus, sed etiam sanguine maiorum partum, per
 ignaviam amittere; et illi, qui sublimes gradus per fas et nefas
 ambiunt, abutentur hac temporum novitate, hortabunturque sum-
 mum pontificem, ne auctoritatem ecclesiasticam vilesce patiatur,
 sed vel per execrationes ea, quae coepit, conficiat. Ita fit, ut ca- 12
 lamitas, quam patria iamdudum passa est, in praesentia toti Ger-
 maniae imminere videatur. Quodsi nunc Pius revivisceret, ille, in-
 quam, Pius, bonorum pontificum ultimus, quo tandem animo fer-
 ret nationi a se et laudatae passim et unice cultae atque amatae 13
 hanc maculam a successore inuri? Graviter patiebamur nuper om-
 nem Italiam pontificis Alexandri armis strepere, sperabamusque eo
 extincto omnia tranquilliora quietioraque fore: at Iulius noster non
 solum novo bello Italiam implevit, sed etiam Galliam Germaniam-
 que committere tentat: fortassis etiam ideo sibi hoc nomen in 14
 pontificatu assumpsit, quoniam mavult bellicas laudes Iulii Caesa-
 ris quam Petri humilitatem imitari. Haec ad te non sine stomacho
 scribo, tu facito boni consulas et mihi rescribas, quid nobis spe-
 randum timendumque sit. Vale, mi Bernharde. Ex Hassensteyn.
 14. Iunii.

123.

*Ad Augustinum Moravum.**15. Iun. [1507.], ex Hassensteyn.*

Domino Augustino Moravo de Olomutz s. p. d. Multa sunt, ¹ quae te scire velim, optime Augustine, sed ea literis complecti difficile esset : itaque dedi Francisco, familiari meo, in mandatis, ut tibi omnia coram referat. Duram enim atque admodum difficilem provinciam sustinemus, si regiae aures adeo calumniatoribus nostris patent, ut prius iudicemur, quam audiamur. Id enim non ² solum praeter ius fit, sed etiam regios mores consuetudinemque hactenus observatam. Multi quotidie res novas moliuntur, perniciosarum ³ seditionum auctores sunt, neque patrias leges quicquam pensi habent ; hi tamen et opibus et auctoritate florent : nos, qui regiae maiestatis partes ab initio sectati sumus, pro eius dignitate tutanda mille nos periculis obiecimus, nullarum coniurationum, quae ad evertendum reipublicae statum fiunt, non modo auctores, sed ne participes quidem fuimus, hunc modestiae innocentiaeque fideique nostrae fructum capimus, ut levissimo cuique nos deferenti credatur. Haec, quae ego ad te non sine stomacho scribo, ⁴ ex Francisco apertius cognosces. Tuum erit curare, ut in tanta omnium licentia nobis quoque communi iure vivere et libertate frui liceat. Neque enim hactenus aut ita viximus, ut odio, aut eo ⁵ a fortuna redacti sumus, ut contemptu digni videri possimus. Adde Francisco etiam pleraque alia, quae ut in animum admittas et ita cures, ut nostra mutua benevolentia postulat, precor. Vale ex Hassensteyn 15. Iunii.

124.

*Ad Casparem de Tachovia.**15. Iun. [1507.], Hassensteyna.*

Domino Caspari de Tachovia, artium magistro et Pragensis ¹ ecclesiae canonico, s. p. d. Scribis te Franciscum, familiarem meum, ideo sine literis tuis ad me remisisse, quod occupatus eras : admitto id libenter : neque oportuit huiusmodi excusatione apud ² me uti, qui nihil de amicis temere suspicari soleo, sed ut eorum literis delector, ita tacentibus facile ignosco omniaque in dextram partem interpretor. Nam et mihi saepenumero accidit, ut non semper ³ exigentibus a me literas satisfacere possim : unde fit, ut veniam, quam ab aliis requiro, ipse quoque prompte impartiar. Tuum autem est me semel in amicitiam admissum constanter amare et, sive pica sive rana Seriphia factus fuero, boni consulere putareque me eum esse, qui te ex animo et diligit et observat. Nam ⁴ quod dici solet longo silentio amicitias dirimi, id magis apud vulgus imperitamque multitudinem quam apud eos, qui vim legemque amicitiae cognoverunt, locum habet. Vale. Datae Hassensteynae 15. Iunii.

125.

*Ad Ioannem Filipecz.**31. Iul. [1507.], ex Hassensteyn.*

Reverendissimo suo domino Ioanni, olim Waradiensi episcopo, nunc ordinis fratrum minorum de observantia professori, s. p. d. Audio te propediem Budae futurum, et quoniam frater meus et ego, imo totum pene genus nostrum ope tua indigemus, decrevimus ad te confugere, utpote qui tui tuorumque semper studiosi et fuimus et sumus, precamurque, ne nobis desis. Aut enim tua opera aut nullius alterius id, quod cupimus, assequi nos posse speramus. Scimus enim, quae sunt tua erga regiam maiestatem merita, scimus item, quantum hoc tempore autoritate apud hominem possis. Unde fit, ut non dubitemus nos facile ea, quae optamus, impetrare posse, si tu nobis affueris: quae omnia qualia sint, Franciscus, familiaris meus, tibi coram referet, quem, precor, ut et benigne excipias et, si fieri potest, etiam seorsim a turba audias. Quanquam autem, quae tua nostraque condicio est, vix fieri potest, ut tibi gratiam referre possimus, si tamen precibus nostris apud te locus erit, praestabimus id, quod poterimus, et ultra id, quod tibi omnia debebimus, et ore opereque nos gratos esse testabimur, et tibi tuisque perpetuo confitebimur obnoxios. Vale, dignissime pater, et Bohuslaum tui tuorumque fratrum amantissimum ipse quoque ama. Ex Hassensteyn ultima Iulii.

126.

*Ad Bernhardum Adelmannum.**28. Sept. [1507.], ex Hassensteyn.*

Bernhardo suo Adelmanno etc. s. p. d. Quod tanto tempore a patria abes, plus, quam dici potest, moleste patior, et suavissimum illud inter nos literarum commercium, nescio quomodo, intermissum esse et queror et doleo. Quodsi calicarii nostri Constantiam ultra omnes Germaniae populos execrantur (quoniam dux atque auctor eorum superstitionis illic meritas poenas luit) iustius profecto id mihi facere posse videor: nempe quae Bernhardum meum apud se nescio quibus illecebris irretitum tam diu detinet, ut, quemadmodum apud Lotophagos Ulyssis socii, et patriae et mei oblitus videatur. Neque enim adduci possum, ut credam tibi deesse, quorum opera tuae ad me literae Norimbergam perferri possent: malo tamen haec omnia cuivis causae adscribere, quam te erga me putare remissum. Neque enim aequum esset te, dum desiderio meo satisfacere cupis, a publicis consiliis abduci. Illud quoque me solatur, quod in tam frequenti conventu, cui tu inter- es, et tanto principum pontificumque numero aliquid fortasse praeter consuetudinem nostram decernetis, quod et Germaniae utile et reipublicae Christianae salutare sit. Aut enim ego fallor, aut res vestrae eo devenerunt, ut non solum consulto, sed etiam facto, ut

ille loquitur, vobis opus sit. Nam et barbarae gentes, religioni
 nostrae inimicissimae, Germaniae ostia pulsan, quae quidem ita
 in praesentia quiescunt, ut, cum primum se occasio obtulerit, ar-
 ma sumpturae videantur, et Galli, ut fama est, non obscure, quid
 in animo habeant, ostendunt, quibus malis non solum gloriosum,
 sed pene necessarium est nobis obviam ire: nisi forte et aliarum
 nationum casibus et domesticis calamitatibus edocti resipiscere et
 honori salutique nostrae consulere non vultis. Ego certe me Ger-
 manum esse et profiteor et glorior, atque ideo, si alterum eligere
 oporteret, mallet imperii decus ad Italos, a quibus ad Germanos
 manavit, reverti quam fastum insolentiamque Gallorum tolerare.
 Nam de Graecis nullam facio mentionem, qui ignavia sua sive
 perfidia (semper enim ad res novas et haereses proni erant) eo
 redacti sunt, ut hoc tempore non modo imperium, sed ne liberta-
 tem quidem sperare audeant quorum miserabilis ruina admonet
 nos profecto, ut a voluptatibus, quae nos molles effoeminatosque
 reddunt, temperemus et ab intestinis seditionibus caveamus. Vale,
 dulcissime mi Bernharde, et aliquid de Hispaniae, Galliae Britan-
 niaeque rebus ad me scribe: scio enim motus earum gentium
 caeteraque memorabilia cotidie Constantiam deferri. Itaque nolo te
 eiusmodi mercibus inonustum ad patriam redire, quando rerum
 talium cognitio animum saepenumero et pascit et delectat. Iterum
 vale. Ex Hassensteyn 28. Septembris.

127.

Ad Bernhardum Adelmannum.

20. Oct. [1507], ex Hassensteyn. — *Responsum ad App. 19.*

Bernhardo Adelmanno s. p. d. Dederam ad te paucis ante die-
 bus literas et amice apud te questus sum, quod tanto tempore ni-
 hil ad me scriberes, cum praeter omnem spem expectationemque
 meam binae simul literae mihi abs te redditae sunt plenae officii,
 benevolentiae suavitatisque, quibus ego maiorem in modum sum de-
 lectatus, non solum quoniam intellexi ex eis, quod ego maxime
 omnium optabam, te incolumem ex Constantia in patriam rediisse,
 sed etiam quia pleraque his inseruisti, quae cognovisse si minime
 iucundum, at non omnino inutile fuit. Et tu quidem, Bernharde,
 quae tua pietas est, merito patriae calamitatibus angeris: nempe
 quae optimo cuique charissima est, et pro qua summi illi viri,
 quorum virtute omnium pene gentium historiae lucent, etiam mori
 non dubitaverunt. Caeterum dum Germanorum vitam apte concin-
 neque describis, nostram simul imprudens descripsisti, acciditque,
 dum tuam epistolam legerem, ut, nescio quomodo, mihi nostros
 mores seditionesque quasi in quodam speculo viderer intueri. Ne-
 que enim tantum bella civilia et quae consequuntur, sed vastitas,
 ruina, excidium nobis imminet; et quae singula magna imperia
 evertere solent, ea universa acervatim ad nos confluerunt. Mirus
 est fastus, mira nostrorum procerum invidia, et quicquid in aliis

cernimus, id nobis praeceptum putamus. Incredibile omnium ordi- 6
num dissidium et, cum frequentes conventus celebremus, nihil un-
quam statuimus, quod reipublicae expediat libidinum voluptatum-
que nullus modus. Neque facile dixerim, avariciane maior nobis 7
an sumptus sit; sed, ut ille ait:

Luxuriam lucris emimus censuque rapinas,
Et summum census precium est effundere censum.

Muneribus largitionique adeo patemur, ut nihil apud nos non ve- 8
nale sit pax et concordia semper in ore nostro versatur, ita ta-
men, ut studiose quotidie aut oppugnetur, aut saltem negligatur.
Nam quod ad religionem attinet, eo iam ventum est, ut plerique 9
in Diagorae Theodorique dogma lapsi, superos inferosque esse ex-
gent, illud, quod Philo, sive quis alius eius libri auctor est, ex
sententia impiorum ait, identidem usurpantes: ex nihilo nati su-
mus et post haec erimus, tamquam nunquam nati fuisset, ne-
que letali huic morbo ab ullo hominum obviam itur. Ecclesiastici, 10
qui animas pro ovibus sibi commissis ponere iubentur, mussant,
neque tam Deum, qui animas in gehennam mittit, quam eos, qui
terrenam hanc vitam auferre possunt, metuunt, longeque magis
praedia ecclesiastica occupantibus quam haeresum supersticionum-
que inventoribus succensent. Sed hi fortassis veniam merentur, quon- 11
iam nulla eorum apud nos auctoritas est. Caeterum seculares quo-
que partim, praesenti rerum statu contenti, in ocio et deliciis mar-
cent, partim ita opibus honoribusque inhiant, ut reliqua tam di-
vina quam humana et contemnant et nihil ad se pertinere iudicent.
Rex ipse, cuius pietatem et religionem omnes Christianae natio- 12
nes et praedicabant et admirabantur, sive aetate frigidior ad res
agendas factus, sive nostros mores pertaesus, ita apud Pannonios
vitam ducit, ac si lethargum pateretur. Ex quibus facile conicere
potes, quid mihi animi in hoc genere hominum degenti sit. Olim 13
equidem sub Ottonibus, Henricis Fridericisque Germania florente
etiam opes in immensum creverunt, nobilissimaque portio vestri
imperii Boëmia putabatur: nunc autem rebus vestris inclinantibus
nos quoque non solum inclinamus, sed plane ruimus, ut scilicet
utriusque post Assyrios, Medos, Persas, Macedones, Romanos no-
vum rursus exemplum posteris simus, res humanas nihil esse: quan- 14
quam nostra sors longe deterior est, quoniam non tantum opes
patrimoniaque nostra, sed animae in summo discrimine versantur.
Unde fit, ut, quoties talia audio aut intueor, magis cum Demo-
crito flere quam cum Heraclito ridere libeat, et, qui mihi animum
adversus omnes fortunae casus composuisse videbar, patriae pe-
riculis exagitatus, si non prorsus perturbationibus succumbo, at
certe gravissime concutior. Deplorare haec apud te libuit, Bern- 15
harde: quemadmodum enim ulcera, ubi pus saniemque emiserint,
minus affligunt: ita et animi affecti, ubi sese apud amicos nudant
et detegunt, nescio quomodo tranquilliores redduntur. Vale. Ex
Hassensteyn 20. Octobris.

128.

*Ad Bernardum Adelmanum.**6. Dec. [1507.], ex Hassensteyn.*

Bernardo suo Adelmanno s. p. d. Angi te improborum moribus et ecclesiae sanctae admodum metuere literae tuae indicant : acerbe id fero, etsi pietate tua delector. Sed quid agam ? conaborne medelam dolori tuo adhibere, ipse in simili, ut nuper ad te scripsi, aegritudine constitutus, an tecum potius lachrymas miscebo, ut, quoniam aliter non possumus, fletu saltem animos nostros huiusmodi curis levemus. Si enim patriae parentumque calamitatibus commoveri et laudatur et pium iudicatur : multo profecto laudabilius erit religionis nostrae periculis ingemiscere, quando iam eo ferme ventum est, ut a planta pedis usque ad verticem capitis per singula membra laboret. Caeterum utcumque se ista habent, ille tamen errare non poterit, qui ait : Petre, rogavi pro te, ut fides tua non deficiat, et Divus Hilarius proprium esse ecclesiae, ut tum vincat, cum laeditur, tum obtineat, cum deseritur. Certe quam tot tyranni, tot haereses evertere olim non potuerunt, nostri quoque seculi perversitas minime vertet. Quodsi verum fateri volumus, bene nobiscum agitur, quod indulgentissimus ille Pater neque tot sceleribus nostris provocatus, misericordiam suam a nobis aufert, sed ut liberos parum bene facientes castigat mavultque ad se redire quam perire. Nempe ut ferrum, nisi exercetur, rubigo consumit : ita homines nisi quotidianis flagellis erudiuntur, vix in officio permanent, atque utinam tot malis edocti resipisceremus. Sed, nescio quomodo, Pharaonem magis imitatur quam David aut Paulum, et non de virtute in virtutem, sed de scelere in scelus quotidie ruimus, ut timendum nobis sit, si qua adversa patimur, ne magis in initium poenae quam peccatorum remedium nobis sint. Vale, dulce meum caput. Ex Hassensteyn 6. Decembris.

129.

*Ad Bernardum Adelmanum.**[1507. exeunte.]*

Bernardo suo Adelmanno s. p. d. Cupio duabus tuis epistolis respondere, Bernarde optime, sed nihil in mentem venit, quod mihi satisfaciat. Neque enim statuere possum, delectatusne magis an percussus his, quae ad me scripsisti, fuerim. Utrum enim horum me passum dixerō, minime profecto mentiar. Equidem ea, quae de perversis Germaniae moribus non minus pie quam eleganter scribis, non sine dolore legi. Sed, nescio quomodo, etiam quae non probantur, cognoscere iucundum fuit. Multa certe huiusmodi partim mihi lecta auditaque sunt, partim etiam visa. Aut enim deterior est patriae meae status, aut omnino idem, iustumque esset iam calum obducere, quoties tamen quippiam id genus de Christianis nationibus audio, nunquam adeo constare animo possum, ut non commo-

veat: neque enim mihi cornea fibra unquam fuit. Quodsi, ut ille ait, plus 4
 est Romani ingenii fines promovisse quam imperii, non tam turpe
 nobis erit amisisse imperium quam fidem integritatemque, quibus
 inter alios populos imprimis excellere atque praestare hactenus visi
 sumus. Illud enim fortunae adscribi potest, hoc improbitate nostra 5
 scelereque accidere necesse est. Haec alii fati et perpetuo quodam
 causarum latentium nexu evenire credunt: ego vero, ut cuncta divina 6
 providentia regi constanter affirmaverim, ita principum ignaviam
 plurimum moribus nostris contenderim officere, nempe apud quos
 plus interdum auctoritatis venatores perductoresque quam literarum
 periti habent. Arbitrantur illi quidem se artem populos gubernandi 7
 tenere, sed ne primis quidem labris eam gustaverunt. Neque enim
 inter assentatorum voces et voluptatum illecebras discitur, sed mul-
 tis curis, magnis laboribus, assiduo studio quaeritur, quae isti pro-
 vinciarum rectores quasi pestem quandam defugiunt. Neque item 8
 ab hac culpa ecclesiasticos eximo (tecum enim mihi sermo est, quem
 omnia in dextram partem accepturum certo scio) Si enim veteres
 illi Germani reviviscerent, fortassis, quemadmodum Caroli, Ottones,
 Henrici de Maximiliano imperatore, ita Bonifacius, Kilianus, Ulri-
 cus de pontificibus Germaniae quererentur. Plerique enim ex eis 9
 ne dissimulant quidem se nomine spiritui, operibus autem carni
 ambitionique vacare, neque tam de animarum salute quam de opi-
 bus cumulandis et patrimonio ecclesiarum suarum conservando so-
 licitos esse: unde fit, ut profani principes exemplis talibus deprava-
 ti, et ipsi ruant et vulgus secum in praecipitium trahant. Dura 10
 est omnino sors nostra et condicio perquam miseranda. Atque uti-
 nam hic finis malorum nostrorum sit! Caeterum repetenti mihi me-
 moria aliarum gentium casus vereor, ne cum hac nostra in pec-
 catis pertinacia non seditiones et direptiones bonorum, quae iam
 usitata sunt, sed exilium, sed servitus, sed caedes haeresesque nos
 maneant. Verum haec nos divinae curae relinquamus, cuius mise- 11
 ricordiae non est numerus. Stultum est enim malis, quae nondum
 evenerunt, torqueri. Quodsi Moses Domini saevientis iram saepe 12
 numero a populo sibi commissio precibus avertit, non est despe-
 randum esse multos in navicula Petri, quae utique mergi non pot-
 est, quorum piis supplicationibus furor eius hoc quoque tempore
 flecti lenisque valeat. Quae de instrumentis mathematicis ad me 13
 scribis, iucunda mihi fuerunt: sed difficile est absentem statuere,
 quod ex his mihi maxime placeat. Scis enim in huiusmodi rebus
 unum oculatum hominem decem auritis anteferri. Itaque tibi eam
 provinciam relinquo. Sed quoniam scire vis, quantum impendi vel-
 lim, facito triginta florenos in praesentia in his expendas. Quodsi 14
 deinceps alia mihi eius generis placuerint, non dubitabo tua solita
 opera uti: reliqua cognosces ex schedula.

130.

*Ad Bernhardum Adelmannum.**[1507. exeunte], Hassensteynâ.*

Suo Bernhardo Adelmanno de Adelmansfelden s. p. d. Erexas me iam pridem in spem quorundam librorum, quos ego dum avide expecto, et tu diutius, quam consuevisti, taces, non potui non vereri, ne quippiam aliud, quam forsitan ferri possit, huius tui silentii causa sit. Iamque non solum scribere ad te parabam, sed etiam nuncium mittere te tuaque visurum, cum praeter expectationem mihi literae abs te cum non parvo fasce librorum redditae sunt, quibus ego et mirifice delectatus sum, et sollicitudinem, quam animo conceperam, facile posui: in ipsis etiam libris evolvendis triduum pene, aliis occupationibus intermissis, consumpsi, atque adeo, ut interim nihil fere aliud aut egerim aut legerim: neque fructu, quem sperabam, fraudatus sum. Sed multa didici, quae antea ignorabam quin in pusillis illis opusculis, quae nescio an libri appellari digne possunt, pleraque reperi, quae cognovisse iucundum fuit. Nam, ut ille ait, nullus liber tam malus est, ut aliqua sui parte non prosit. Ipsum etiam Speculum orbis non incuriose, ut mihi videor, rimatus sum. Caeterum aut mancum est aut profundius, quam ut a me capi possit. Ut scias autem, quid ad me miseris: tres sunt circulares figurae, quarum exterior gradus continet, media signa coeli, in intima terrae situs descriptus. Haec in quatuor dividitur partes, quae omnia ad amussim quadrant et conveniunt. Sed superest quaedam circuli quarta portio, quae Germaniam, Galliam vicinaque loca complectitur. Haec quid sibi velit, nescio. Unde fit, ut speculum huiusmodi minime integrum ad me perlatum esse suspicer. Sed haec tuo iudicio committo. Quod scribis vereri te, ne quandoque eadem volumina iterum ad me miseris id quidem nonnunquam evenit, nolim tamen te propterea timidiorem remissioremque in libris mihi coëmendis esse. Iam enim saepenumero testatus sum, in quam te partem declinare velim. Non desunt etiam mihi amici, quibus tales libri donari possunt. Idem quoque de instrumentis mathematicis sentio et, ut paucis absolvam, quicquid egeris, in dextram sum accepturus partem et tibi in omnem eventum perpetuo debiturus. Quodsi me pro tuo in me animo minime offendere vis, scito tum me maxime laesum iri, si te supersticiosa haec sollicitudo in re literaria curanda segniores reddiderit. Libri Parisienses, de quibus in indice mentionem facis, pene omnes mihi sunt praeter Albertum super Apocalypsim et Gorram super epistolas Pauli et Alkindum de origine mundi et Occam super sententias, quos abs te cum operibus Chrysostomi nuper impressis expecto, et pleraque alia, quae iam toties tibi inculcata sunt, ut eorum oblivisci non possis. Miratus sum autem vehementer, quod nullum omnino Graecum volumen hoc tempore abs te acceperim. Haec ad tuas literas. Res patriae nostrae ita se habent, ut magis incerta pax sit quam apertum bellum. Id facit dis-

cordia procerum nostrorum, quorum plerique tam omnia ad se trahunt, ut non solum superiorem, sed ne parem quidem ferre possint, et, ut dicam, quod sentio, ita vivunt, ut per Pythagorae paltingenesim Iulii Caesaris animam resumpsisse videantur, neque tamen huic malo ullum adhibetur remedium quorum maxime interesset omnia pacata esse, ita aetatem agunt, ut timeant magis quam timeantur, et praesenti rerum statu contenti ignavum ocium laboriosae gloriae anteferunt. Ita fit, ut, cum vos bella atterant, nos rubigo consumat. Vale, dulcissime mi Bernarde. Miror autem, cur me errare censeas, quod non Franciscum Picum nominaverim, sed Ioannem, cum ipse ubique se ipsum Ioannem Franciscum nominet. Datum Hassen.

131.

Ad Bernardum Adelmannum.

20. Dec. [1507.], in Hassensteyn.

Bernardo suo Adelmanno s. p. d. Dederam libros divi Augustini, cum primum ad me pervenissent, in proximum oppidum ad ligandum: sed partim artificis negligentia, partim quod hoc tempore non solum cum eiusdem oppidi incolis, sed etiam cum aliis hominibus propter pestem parum mihi commercii fuit, factum est, ut memorati libri primum nudiustertius ad me reverterent, quos dum avide volvo, deprehendi literas maiusculas passim in marginibus impressas esse. Id quoniam non frustra factum arbitrabar, suspicatus sum indicem eorundem voluminum simul impressum esse, quem tamen ad me minime misisti. Id tibi propterea notum facio, ut his malis, si saltem fieri potest, medearis. Vale, optime Bernarde. Datae celeriter in Hassensteyn 20. Decembris.

132.

Ad Bernhardum Adelmannum.

[1508. ineunte.]

Bernhardo Adelmanno s. p. d. Redditae sunt mihi tuae literae, quibus te excusas, cur nihil Graecarum literarum ad me miseris, et culpam omnem in bibliopolas transfers: quae ego facile admitto. Quid enim mihi aut benevolentia in me tua notius aut studio diligentiaque in rebus meis exploratius? Quod autem cavillo quodam insatiabilem, ut tu appellas, librorum cupiditatem mihi exprobras, patere, quaeso, me quoque cavillo uti et tibi libere respondere. Si enim uxores nobis permittuntur, ut ardorem libidinis, saltem intra legitimi tori fines, cohibeamus, permitte et tu mihi cupiditates meas intra literarum studia continere potius, quam aut opibus conquirendis aut honoribus ambiendis inhiare. Scribis te nonnullos libros, ubi plures comites naeti fuerint, ad me missurum. Hos ego expectabo ea, qua soleo, aviditate et, si negociato-

res Augustenses quippiam rei Lipsiae habent, longe commodius mihi ad proximas eius urbis nundinas quam Norimbergam hoc tempore mitti possent. Nam multi e nostris Cadanensibus ad easdem nundinas proficiscuntur, quorum opera libri, si quos miseris, facile ad me perferentur. Vale, humanissime Bernharde.

133.

Ad Casparum de Tachovia.

13. Ian. [1508.], Hassensteyna.

Domino Casparo de Tachovia s. p. d. Francisci Schneyttel familiaris mei opera, pater Caspar, cotidie utor, discessusque eius a me hoc tempore ut illi gloriosus, ita mihi parum commodus esset. Itaque te precor, ne tibi caeterisque patribus molestum sit, si tardius, quam fortassis oportebat, ad sacros ordines suscipiendos proficiscitur. Si quid enim in ea re peccatum, mihi magis quam Francisco adscribendum est, eritque tuum pro tua in me Franciscumque benevolentia enixe dare operam, ne illi fraudi sit, si plus auctoritati meae tribuit, quam debet, maxime cum per substitutum officio suo satisfacere promptus sit. Commisi autem eidem Francisco et alia nomine meo tibi referre, quae ut in animum admittas diligenterque cures, etiam atque etiam rogo. Facies enim rem dignam nostra amicitia, et me tibi caeterisque patribus perpetuo obligabis. Vale. Datum Hassensteynae 13. Ianuarii.

134.

Ad Ioannem de Tyn.

13. Ian. [1508.], ex Hassensteyn.

Domino Ioanni de Tyn, artium magistro, canonico et scholastico Pragensis ecclesiae, s. p. d. Dedi in mandatis Francisco familiari meo, pater scolastice, ut nonnulla nomine meo tecum loquatur: ea ut tibi curae sint, magnopere precor. Neque enim dubito, quin pro auctoritate, qua apud caeteros patres capituli vales, possim id, quod cupio, tua opera consequi. Nulla quidem mihi tecum hactenus consuetudo fuit: quoniam tamen te et honeste et amice de me loqui audio, in eam adducor spem, ut precibus meis locum apud te futurum arbitrer. Id si impetravero, magno me tibi beneficio devinctum putabo. Vale. Ex Hassensteyn 13. Ianuarii.

135.

Ad Casparum de Tachovia.

24. Ian. [1508.], ex Hassensteyn.

Domino Casparo de Tachovia s. p. d. Commendo tibi rursus Franciscum, non quod is commendatione mea indigeat (nempe qui tuam in se benevolentiam atque humanitatem ubique praedicat et iactat), sed partim quia nolui eum vacuum literis meis ad

te ire : partim quod tibi currenti, ut dici solet, calcar adiicere volui, precorque, ut, si quid sponte tua in Franciscum collaturus es, id meis precibus atque auctoritate incitatus, cumulatius uberiusque praestes atque conferas. Vale. Ex Hassensteyn 24. Ianuarii.

136.

Ad Bernardum Adelmannum.

11. Febr. [1508.], Hassensteyna.

Suo Bernardo Adelmanno s. p. d. Sigismundus cognomento 1 Knobloch, qui ad te proficiscitur, ex equestri ordine est, multoque tempore in familia mea fuit. Is in praesentia Germaniam petit, aut regi aut alicui ex principibus suis, si fieri poterit, militaturus. Commendo tibi hominem precorque, ut tu quoque eum tuis, si quos saltem in aula regia habes, quorum ope auxilioque id, quod cupit, assequi possit, commendes. Paucis verbis tecum ago, utpote cum sciam me meosque minime commendatione apud te indigere. Libri caeteraque, de quibus postremo ad me scripsisti, nudiusquar- 2 tus mihi allata sunt: delectatus plurimum his sum, inprimis autem sphaera terrae, quanquam iusta magnitudine careat. Itaque si curaveris, ut maiorem, imo quam maxima fieri poterit, ea forma habeam, vehementer mihi gratum erit. Quodsi sphaeram coelestem 4 addideris media parte sui in ligno excavato latentem, et revolutione sua ortus occasusque signorum monstrantem, qualem me aliquando vidisse memini ad nostrum clima factam,

Sublimi feriam sidera vertice.

De re literaria iampridem ad te scripsi, neque in praesentia quic- 5 quam aliud in mentem venit. Vale, iucundissime mi Bernarde. Quodsi scire cupis, quae apud nos geruntur, Sigismundus coram narrabit. Datum Hassensteynae 11. Februarii.

137.

Ad Ioannem de Pibra.

8. Apr. [1508.], Hassensteyna.

Ioanni suo de Pibra s. p. d. Quoties ad me scribebas antea, 1 toties nova quadam voluptate mihi impleri visus sum. Caeterum in praesentia, ut tibi ingenue fatear, nescio, delectarintne me magis literae tuae, an exemplaria, quae simul cum literis ad me misisti, anxium sollicitumque reddiderint. Nam qui meus amor in 2 patriam est, non potui non ingemiscere his, quae ad reipublicae nostrae excidium et ad religionis ruinam omnimodumque exterminium manifestissime spectant. Quando enim unquam maior blas- 3 phemia audita est, quam, quem Christum filiumque Dei confitearis, eum adorandum negare? aut quod venenum huic pesti comparari potest? Horret animus, dum haec scribo, et impietatem tantam etiam in cogitationes admittere formidat: neque foemina deest huius dementiae particeps. Cumque apostolus mulieres tacere 4

in ecclesia iubeat, haec et ad regem scribere et profanos homines suo patrocínio tueri audet. Sed forsitan ita legibus satanae 5 cavetur, ut nulla pene haeresis sine hoc sexu coalescere in ecclesia Dei possit. Simon magus cuiusdam meretriculae auxilio virus diffudit. Nicolaus Antiochenus choros muliebres ductabat. Habebat 6 Apelles in comitatu suo virginem maligno afflatam spiritu. Montanus non tot sua autoritate, quot Priscæ Maximillaeque ope seduxit. Arrius nisi prius se principis sorori insinuasset, nunquam totum fere orbem detestanda lue inficere potuisset. Secuta has Mar. ha 7 nostra, quam tamen melius erat exemplo veteris Marthae circa frequens ministerium satagere et colum lanamque curare, quam virili quadam imprudentia adversus catholicam fidem debacchari dor- 8 mitamus tamen nos ad haec, et cum lupi assidue gregi Dominico insidientur, neque aut canes latrant, aut pastores pro ovibus sibi commissis digne excubant, maluntque in voluptatibus et ocio marcere quam curis laboribusque, interdum etiam vitae periculo orientibus malis obviam ire: minime profecto cum imitati, qui animam pro ovibus ponere et iussit et exemplo docuit. Maxime autem om- 9 nium illud me angit, quod perfidia haec, quae sub Georgio rege et Ioanne Rokycana (quanquam haereseos accusatis) ne hiscere quidem audebat, hoc tempore sub rege catholico et radices egit et ramos suos adeo late protendit, ut vix humanis viribus extirpari atque evelli possit. Equidem terribilia illa edicta, quibus uter- 10 que gladius dstringitur et genus hoc hominum undique pelli arcerique iubetur, magnopere probo. Sed vereor, ne, ut sunt mores nostri, non multo post ad levissimi cuiusque suggestionem omnes huiusmodi minae in ventum abeant. Sed forsitan haec poena pec- 11 catorum nostrorum est, unusque error nobis gradum ad alios praebet, et quoniam semel ab ecclesia recessimus, non desinimus quotidie profundius in perfidiae baratrum ruere. Unde utinam nos Deus immortalis aliquando extrahat, qui etiam ex lapidibus filios Abrahae suscitare potest. Vale. Datum Hassensteynae 8. Aprilis.

138.

Ad Bernhardum Adelmannum.

27. Apr. [1508.], Hassensteyna.

Suo Bernhardo Adelmanno s. p. d. Quod tantus nostrorum 1 numerus nullo omnino hostium interfecto a Venetis caesus sit, et prodigii loco accepi et moleste tuli: multo autem molestius Augustum adeo hac clade perculsum esse, ut, quasi timeret, ne Tridentum vicinaque oppida in oculis eius capiantur, in media Germania viscera non sine tantae maiestatis ignominia retrocesserit. Neque enim est eius ad exiguum fortunae ictum animo concidere 2 atque frangi, qui ab adolescentia in militia versatus est, neque rursus providi ducis fuit, cum vix bello Gallico sufficeret, subire simul et Venetum, atque eum populum lacescere, quo nullus hoc tempore aut opibus aut imperio magis floret Strepente olim Italia 3

Punicis armis, cum Philippus Macedo multis indiciis ostendisset se in Carthaginienses propensum et a Romanis alienatum esse, semper dissimulata iniuria est, et vindicta ad id tempus reservata, quo sine periculo adversus Macedonas arma sumi possent: nos autem, qui omnia terrore atque minis complere solemus, hostes, quos omni studio atque diligentia disiungere et ab invicem distrahere oportebat, quae nostra sapientia est, de industria, ut ita dixerim, coniunximus ob nullam aliam, ut ego arbitror, causam, nisi quia rebus omnibus desperatis honestius arbitramur ab utroque hoste simul iuncto quam ab altero eorum vinci: scilicet victrices illae aquilae, et sub quarum alis terrarum orbis trepidabat, eo iam deciderunt, ut pene graculis ludibrio sint, nomenque illud gentibus trans Gangem sitis olim venerabile, etiam a domesticis despiciatur. Nihil profecto in rebus humanis stabile est, et quae firmissima validissimaque creduntur, subito ruunt. Multa huiusmodi aetas nostra vidit. Deiectus est principatu Ludovicus Sphortia. Regnum Neapolitanum primum ad Gallos, demum ad Hispanos fere sine certamine devenit. Pulsi Florentia Medici, pulsus Bononia Bentivoli. Genua, quondam Africae Asiaeque terribilis, in perpetuam servitutem redacta; et ne nos quis extra fortunam positos iudicet, paucis ante annis duo principes totam Germaniam armis factionibusque involverunt: sed hi nuper mortui id solum tot belli sumptibus assecuti sunt, ut inopum miserorumque execrationibus assidue proscindantur: ut iam recentibus exemplis discere possimus, quantum terrenae felicitati et blandientis fortunae illecebris credendum atque confidendum sit. Sed haec nos aut valere sinamus aut toleremus, et omnia, quae nobis auferri eripique possunt, prorsus nihili aestimemus, ad illudque imperium atque illos thesauros aspiremus, ad quos hostes furesque accedere minime possunt. De re literaria nihil habeo, quod in praesentia scribam: nam et eadem repetere obtundere esset, et in tanto Germaniae Italiaeque motu vix fieri potest, quin commercium librorum impediatur; erit tamen tuum, si insatiabilem, ut tu appellare soles, meam hanc aviditatem extinguere prorsus non potes, saltem aliqua ex parte lenire. Expecto autem abs te ea volumina, de quibus in posteriori tua epistola mentionem facis, expecto item folia, quae mihi deficiunt, de quibus iam pridem ad te scripsi. Vale, suavissime Bernharde, et facito omnino, ut aliquid de Germaniae Italiaeque rebus ad me scribas. Datum Hassensteynae 27. Aprilis.

139.

Ad Ambrosium, decanum ecclesiae Pragensis.

20. Iun. [1508.]

Ambrosio decano et caeteris patribus capituli ecclesiae Pragensis s. p. d. Quo animo regia maiestas sit erga Franciscum N., ex literis regiae maiestatis cognoscetis. Caeterum et ipse vobis hominem commendo, neque id tanta cura facerem, nisi dignum

commendatione arbitrarer. Puto autem testimonium hoc meum de ² Francisco non nihil auctoritatis apud vos habere debere. Versatus est enim aliquot annis in familia mea multaque de se non solum ingenii doctrinaeque, sed etiam modestiae integritatisque documenta dedit: unde fit, ut vitae morumque suorum non minus quam quisquam alius conscius sim. Agerem haec pluribus verbis, sed ³ malo Franciscum virtute sua quam literis meis vobis innotescere. Valete. Iunii XX.

140.

Ad Ioannem de Pibra.

5. Sept. [1508.], ex Hassensteyn.

Ioanni suo de Pibra s. p. d. Induisti tandem rursus veterem ¹ pellem et ad me perhumanas dedisti literas: id vero cum amicitia nostra dignum est, tum mihi longo silentio tuo acceptius. Hactenus ² enim visus es lethargum pati neque curare, albusne ego an ater sim, quem tamen olim et amare et magnificare solebas. Caeterum quae literae tuae continent, ut ingenue fatear, partim me delectant, partim molesta sunt. Assumpsisse enim regium puerum ³ diadema Pannoniae et opes suas eo modo firmasse atque stabilivisse, vehementer laetor: nam et consilia eorum, qui regnandi gratia divina humanaque iura violanda putant, cessabunt deinceps et conquiescent, et patri iucundissimum erit tantae maiestatis insignia se vivo in filio spectari: neque illos audio, qui, dum levitatem ⁴ vulgi et procerum populorumque inconstantiam considerant, semper Ladislaum in ore habent, stultum est enim vanos metus sibi fingere et his angi, quae forsitan nunquam eventura sunt. Quod autem scribis N. invicem conspirasse et eundem senatum ⁵ eosdem magistratus utramque civitatem habere, probare non possum. Vereor enim, ne ex hoc fonte incendia non tantum nobilitati, sed etiam reipublicae perniciose ebulliant. Sed non est mirum ⁶ in hac ignavia nostra, quam amici clementiae benignitatisque nomine dignantur, innumera talia quotidie accidere. Fridericus imperator eius nominis primus, ut alia omittam, Mediolanum imperio rebellem diruit et populum eius, quo ad rebellandum debiliior sit, in sex vicos distribuit, nos N. non solum toties rebellem, sed nescio ⁷ an unquam bene de regibus cogitantem, dignumque, cuius opes non tantum minuantur, sed plane extinguantur, miscere vires et in unum corpus coalescere patimur, quia videlicet per tot prospera atque adversa nondum didicimus, quid nobis et provinciis ditioni nostrae subiectis potissimum conducat. Quanquam aut ego N. ⁸ mores non novi, aut haec eorum concordia discors paulo post erumpet in capita auctorum et multorum sanguine redundabit. Sed haec omnia nos coelesti providentiae committamus, quae saepenumero populis id merentibus principes aut ignavos aut tyrannos praeficit et adversus reges non recte in lege Dei ambulantes excitat imperitam multitudinem et superbam insolentemque reddit. Vale. Ex Hassensteyn 5. Septembris.

141.

*Ad Casparum de Tachovia.*15. Sept. 1508., *Hassensteyna.*

Domino Casparo de Tachovia s. d. Commendo tibi iterum ¹ Franciscum, familiarem meum; pater Caspar: duae in praesentia conditiones offeruntur, quarum utram eligere velit, in sua potestate atque arbitrio est. Sed ambigit, quorsum inclinare debeat: adhibuit autem et me in consilium. Respondi, quae mihi visa sunt, ² addidi tamen, ut ex tua sententia atque autoritate omnia agat. Unde fit, ut Pragam proficiscatur, caeterorum quoque patrum consilio usus. Vestrum iam erit id de homine decernere, quod maxime ³ e re sua esse putabitis. Ego certe Pragam praeferendam crediderim: nam et honestior locus est, et praestat inter amicos familiaresque sui ordinis vivere quam alienos. Accedit his, quod ⁴ natura ingeniumque Francisci aptius est ad literas et res agendas quam ad opera rustica, sine quibus villaticum, ut ita dixerim, sacerdotium administrari nullo modo potest. Vale. Datum Hassensteynae 15. Septembris anno Domini 1508.

142.

*Ad Ioannem de Pibra.*27. Dec. 1508., *ex Hassensteyn.*

Ioanni suo de Pibra s. p. d. Laudo prudentiam tuam et te ¹ hominem omnium horarum iudico, utpote qui te locis temporibusque accomodare scis. Nam cum (ut nunc res se habet) adversus religionem vel falso omnia blaterare liceat, et de his, qui faenum in cornu habent, ne mutire quidem tutum sit, mavis de diva Agnete quam de procerum nostrorum moribus ad me scribere: gaudeo hoc ingenio tuo. Reperisti enim artem, qua et mihi satis ² faceres et neminem, si forte literae tuae interceptae essent, offenderes: facito solum, ut perseveres. Malo enim te quacunque de re scribere, quam mutum esse: tametsi ipso quoque opusculo, quod ad me misisti, vehementer sum delectatus. Continet enim ³ multa pietatis virtutisque exempla, et quae ad mores corrigendos instituendamque vitam plurimum conferunt. Atque utinam faeminae nostrae sanctam hanc virginem potius sequerentur, quam luxu fastuque et virili interdum impudentia insolescerent. Sed forsitan ⁴ ubi mares divum Venceslaum imitati fuerint, faeminae quoque ea, quae suarum partium erunt, non omittent. Quod scribis, ut hymnum Sapphico carmine in eandem divam conficiam, geram voluntati tuae morem, ubi ocium nactus fuero. Vale. Ex Hassensteyn 27. Decembris anno Domini 1509.

143.

Ad Ioannem de Pibra.

24. Ian. [1509.], Hassensteyna.

Ioanni suo de Pibra s. p. d. Etsi multa de rebus Pragensibus 1
ab his, qui ad me identidem divertunt, audiui, ea tamen omnia
epistolarum, quae ad me misisti, exemplaria clarius manifestiusque
explicant, factumque est, ut inter legendum delectarer simul et do-
lerem. Nam quae cognovisse iucundum fuit, accidisse tamen ea 2
dolorem molestiamque mihi attulit. Vereor enim, si ignis hic vires
ceperit, et occulta procerum nostrorum odia in apertam seditionem
eruperint, ne totam secum provinciam in praeceps trahant et, ut
ille ait, dum delirant reges, Achivi plectantur. Neque enim post 3
simultates huiusmodi atque dissensiones aliud quam bella, caedes,
vastitates, rapinas, et caetera, quae perversos depravatosque mores
consequuntur, expectare convenit. Praeclare quidem omnes loqui- 4
mur, laudamus iustitiam, praedicamus fidem probitatemque: inno-
centiam in coelum ferimus, leges et aequitatem semper in ore ha-
bemus, idque adeo magnificis verbis testamur, ut patronos reipu-
blicae diceret: sed nescio quomodo, dum omnes optamus Catones
videri, magna ex parte Catilinae sumus. Quis enim nostrum est, 5
qui, non dico sanguinem profundere, sed exiguum patrimonii iac-
turam pro republica facere velit? quis vel cum pernicie eius non
florere et dominari cupiat? quamvis neque ea, quae dominantium 6
sunt, agimus: sed cum praeesse nos delectet, subiectorum iniurias
propulsare omnino negligimus: quantus item sit noster erga pa-
triam amor, vel ex eo constare potest, quod hi, qui spernunt iudicia,
senatusconsulta contemnunt, latrones fovent receptantque, non
modo versantur ante nostros oculos, sed pene insultant innocen-
tibus. Mussamus tamen ad omnia et flammam late serpentem cre- 7
scere patimur: quo fit, ut hac scelerum impunitate proposita,
audacissimus quisque nihil sibi non licere putet. Multi etiam hos 8
divini humanique iuris violatores patrocinio suo tuentur atque de-
fendunt, glorianturque se tantum ingenio, eloquentia auctoritateque
valere, ut sceleratos homines et omnium fere ordinum sententiis
condemnatos periculis eripere possint. Iam vero ambitio haec, utri 9
eorum rempublicam ex sententia sua administrent, quis non intel-
ligit, quorsum spectat? Ut enim navem, in qua nautae saevien-
tibus procellis contendunt, quisnam potissimum eam gubernet, pe-
riclitari necesse est: ita foedum hoc de principatu certamen rei-
publicae salutare esse minime potest. Nec mihi quis nunc, quo 10
mala nostra tolerabiliora existimem, Romam caeterasque respublicas
commemoret, quae simili morbo laboraverunt. Ut enim illae sed- 11
itionibus principum atque discordia perierunt: ita et nobis, nisi
cavebimus, eveniet, praesertim cum nondum eo pervenerimus, ut,
quod Romanis aliquandiu contigit, magnitudine opum vitia nostra
sustinere possimus. Quodsi aliorum exempla placent, nonne melius 12
est ea imitari, quibus imperia crescunt et augentur, quam quibus

amittuntur et intereunt? Et cum hic sit rerum nostrarum status, non desunt tamen, qui mihi vicio dant, quod a conventibus nostris abstineo. Ego vero vel ignavum ocium sequi praestare arbitror¹³ quam cum insanientibus, ut dici solet, insanire, vellemque, si fieri posset, pleraque eorum, quae non video, etiam non audire. Forsitan enim tranquilliori essem animo, neque adversus aegritudines, quas ex hac reipublicae nostrae ruina quotidie capio, toties tuctari cogerer. Habes, quae de domesticis rebus sentiam: accipe nunc¹⁴ externa, quae nudiusquartus ad me ex Hispania allata sunt. Emanuel, Lusitaniae, quam Portugaliae vocant, rex, quatuor urbes in Africa multis iam annis possedit, sed praesenti rerum statu minime contentus, ut mos humani ingenii est, nonnulla oppida regis Mauritaniae sive, ut nunc loquuntur, Feciae bello invadere statuit. Sensit id Maurus, congregatisque quinquaginta millibus hominum consilia Emanuelis praevertit et Arsiliam, Lusitaniae ditionis urbem, nihil omnino tale metuentem, subito aggressus expugnavit, et quicquid hominum intus erat, non sexui, non aetati parcens, ferro delevit: nunc arcem urbis oppugnat, quae quoniam in loco munito sita est, liberique ad eam commeatus mari patent, creditur¹⁷ hostium conatus ad tempus tolerare posse, praesertim cum Lusitaniae Hispaniaeque reges nostris opem laturo, ingenti classe in Africam traiecerint. Conspiraverunt autem cum Mauro quatuor alii¹⁸ reges, qui partim interiorem, partim exteriorum Africae oram colunt, tantaque multitudo in armis est, ut trecenta milia barbarorum convenisse fama sit. Vale et scribe, si me scribere vis. Hymnum ad divam Agnetem tibi mitto. Datum Hassensteynae 24. Ianuarii.

144.

Ad Martinum Mellerstatinum.

4. Febr. [1509.], Hassensteyna.

Domino Martino Pollichio Mellerstatino, sacrae theologiae et¹ medicinarum doctori, s. p. d. Diutius tacui, Martine, quam forsitan tibi gratum est, non quod ex meo in te animo atque benevolentia quicquam remiserim, sed quia nemo se obtulit, qui Leucopolim tuam peteret: nunc vero nactus hominem, qui se enixe curaturum pollicetur, ut literae meae tibi quam fidelissime reddantur, putavi aliquid ad te scribi oportere, ne forsitan amicitiam nostram discidissem me potius quam dissuissis arbitreris: praesertim cum sperem ea, quae scripturus sum, tibi non iniucunda cognitu fore. Erupit enim his diebus fons quidam viginti circiter mille passus³ longe a Praga, cuius aquae tanto studio atque aviditate ab omnibus expetuntur, ut non solum provinciam sui fama impleverint, sed etiam ad finitimas regiones quaquaversum longe lateque vehantur, tantusque populorum ad eas concursus est, ut Apollinem Delphicum eo loco responsa dare diceret: neque forsitan immerito. Mira enim fonti huic salubritas est, mirum ad omnes aegritudines remedium. Referam tibi pauca ex multis: nam omnia con-

quirere et longum et superfluum esset. Quidam multis annis caecus fuit; is ubi hac aqua oculos abluit, visum recepit. Alius morbo, quem Gallicum vocant, detentus, sanitatem, quam nulla medicorum ope consequi potuit, aquae potu consequutus est. Plerique, qui chiragra podagraque laboraverunt et contracti membris erant, pristinam valetudinem recuperaverunt. Idem multis aliis, qui aut viscerum dolore aut pectoris iecinorisque ulceribus affligebantur, accidit. Sed haec omnia hactenus tolerari credique possunt: nam et olim aquas fuisse legimus, quae nervis pedibusque conferebant, luxatis fractisque membris opitulabantur, inaniebant alvos, sanabant ulcera, auribus oculisque medebantur. Neque etiam aetate nostra in plerisque locis desunt, quae partim haustae, partim extrinsecus corporibus affusae, salutem hominibus afferunt. Sed multo maiora incredibilioraque memorantur. Puella quaedam, quae sibi partum medicamentis abegisse dicebatur, fontem bibitura accesserat, et subito aqua disparuit; cumque alius multis caedibus insignis eo simili de causa venisset, in sanguinem mutata est. Volebat quidam implere lagenam et domino suo ad proximum vicum afferre, sed passus est id, quod pati Belides apud inferos poëtae fabulantur. Alius equum caecum habebat, et cum eius oculos aqua aspersisset, equo visus restitutus est, sed coecitas dominum invasit. Haec in omnium ore sunt, ego tamen neque tibi propterea neque ulli alii fidem meam obstringo: quamquam adeo constanter affirmantur, ut me quoque, qui non temere miraculis huiusmodi credere soleo, interdum moveant, nemini tamen dubium esse arbitror, si vera sunt, non naturae, sed coelestis providentiae id opus esse fierique ad convincendam eorum impietatem. qui, longe deterius Epicuro delirantes, hanc coeli terraeque machinam rectore carere et omnia fortuito agi non minus stulte quam irreligiose asseverant. Vale. Hassensteynae 4. Februarii.

145.

Ad Bernardum Adelmannum.

28. Febr. 1509., ex Hassensteyn.

Suo Bernardo Adelmanno s. p. d. Fui his diebus Pragae et principem meum ad nos ex Pannonia reversum, ut par est, veneratus sum. Mutasse mihi visus est vultum et, nescio quomodo, semper cogitabundus incedere magisque prae se ferre moesticiam quam gravitatem: neque id, ut ego arbitror, vicio senectutis accidit (vix enim sextum et quinquagesimum annum attingit), sed curis solitudinibusque, nempe qui omnem pene aetatem inter bella et suorum insidias traduxit. Neque facile dixerim, fortunaene temeritate, quae in res humanas plurimum posse creditur, id factum est an culpa sua, qui, dum benignitatis et clementiae laudem plus iusto quaerit, et se et rempublicam in magnum saepenumero periculum coniicit. Adivi autem et regium puerum iacentem in cunis et stragula auro intertexta velatum, cuius quidem

indolem laudare possum. Nam et venienti mihi manum cupide obtulit, et forma corporis membrorumque lineamenta magnum quiddam polliceri videntur. Caetera in eo optanda magis sperandaque sunt quam laudanda. Mollis enim haec educatio, voluptates immodicae et quotidianae assentantium voces non pueros tantum, sed solidiora firmioraque ingenia nonnunquam pervertunt. Huic verba adhuc dimidiata magis balbutienti quam proferenti, pro veteri gentium more, ne dicam superstitione, insigne regium imposuimus, non solum Boëmia Moraviaeque proceribus, sed etiam ducibus Slesiae et plerisque episcopis partim adstantibus, partim ministerium tantae solennitati exhibentibus: principe vero tuo Friderico marchione non solum praesente, sed etiam infantem, cuius res agebatur, in manibus gestante. Magno hic honore exceptus est pluribusque diebus hospitaliter habitus donatusque cum coniuge et liberis multis muneribus. Sed dum proceribus nostris inter se dissentientibus uni favet et in aliena republica plus aequo curiosus est, aliis, ne id faceret, magnopere deprecantibus, multos, quorum auctoritas apud nos potior est, offendit. Unde factum est, ut recedentem quam paucissimi comitarentur. De corona, qua reges nostri quingentis pene annis usi sunt, nihil ad te scribere possum. Quid enim ipse in his sapio? plena certe est praegrandibus saphiris, hyacinthis, rubinis unionibusque et a nostris immenso aestimatur precio: ita enim plerumque evenit, ut unusquisque sua laudet et admiretur. Vidi etiam ultra ista Salvatoris nostri faciem Veronicae datam, quam et proceres et vulgus Romanae anteferunt. Fingunt autem talem fabulam: Carolum imperatorem eius nominis quartum, qui apud nos quoque regnavit, Romae fuisse impetrasseque ab Urbano quinto pontifice maximo, ut eiusdem imaginis contemplandae potestas sibi per aliquot dies fieret, eaque usum occasione iussisse quendam ex suis pictoribus ad exemplar eius aliam pingere, et adulterinam quidem Urbano restituisse, veram autem ad nos transtulisse; aiuntque extare literas aureo Caroli sigillo munitas, quibus id confirmatur. Me vero nihil horum movet, qui ne Romanae quidem imagini multa tribuo, et sanctam ecclesiam sequutus apocrypha quaeque caveo et abhorreo. Neque mihi Carolus aut Innocentius tertius fidem fecerit, quippe ex cuius auctoritate multa Romae ostenduntur, quae religionis nostrae inimicis materiam nos irridendi praebent. Magnus enim vir fuit neque solum in literis sacris doctus atque exercitatus, sed etiam sanctimonia et vitae integritate clarus, verum peregrinae historiae omnino imperitus: unde fit, ut vel mediocriter eruditus interdum risum moveat. Adiungere his possem auratos equites, ludos hasticos et caetera militaria certamina multaque alia, sed quoniam ea non esse tui stomachi certo scio, praetermittenda putavi, quandoquidem, qui tuus rerum humanarum contemptus est, forsitan et haec, quae scripsi, superflua sint. Habes res nostras signatas magis quam explicatas: nunc postremis literis tuis respondebo, quibus scribis te mihi quosdam libros mittere

excusasque multis verbis, quod interdum coëmas eosdem: ego 15
 vero, mi Bernarde, alterum horum beneficii loco accipio, alterum
 huiusmodi est, ut nesciam, riderene magis an tuae ineptae solici-
 tudini gratias agere debeam; et, nisi scirem id, omnino riderem.
 Non enim tabellis obsignatis mecum agis, qui iam milies testatus 16
 sum, in quam te partem vergere malim. Sed assem te elephanto
 porrigere putas. Verum tuto navigas, neque unquam ad scopulum 17
 in his, quae ad me spectant, allidere potes, precorque, depone hanc
 curam, ne me metu, quanquam fortassis vano, concutias et ea
 timere cogas, quae minime timenda sun^t. Quod ad Bilibaldum 18
 Pirkhamer attinet, parebo tuo consilio, iamque nonnihil ea de re
 ad Iohannem in Hof scripsi: nam ad hominem prorsus ignotum
 scribere et eius opera subito uti subrusticum videbatur. Hortaris 19
 in fine epistolae, ut post secularia studia tandem in euangelii et
 sacrorum voluminum lectione conquiescam: gratum id mihi mi-
 rum in modum est. Neque enim certius indicium verae, sanc-
 tae Christianaeque amicitiae esse potest. Caeterum si in adole- 20
 scentia, quo tempore gentilibus penitus deditus eram et plus, quam
 expediebat, eloquentiae lenocinio mulcebar, nunquam tamen vi-
 tae morumque praecepta inde aucupanda existimavi, non est, cur
 verearis, ne iam canescente vertice rosas et lilia et amaenos fon-
 tes pluris faciam quam plenam messem, uberes oleas et graves
 fructibus vites: quin saepe accidit non solum in his, quae ad re- 21
 ligionem moresque pertinent, sed etiam in rerum naturalium in-
 quisitione, ut schola Parisiensi magis quam Athenis delecter, et
 plus mihi Albertus quam Seneca aut Plinius satisfaciant. Quodsi 22
 utique ad vetera studia interdum redeo, id non tam singulari ali-
 qua voluptate fit, quam ne eorum, quae in adolescentia magno
 labore didici, prorsus obliviscar. Vale. Ex Hassensteyn 28. Febru-
 arii anno 1509.

146.

Ad Ioannem Sslechtam.

15. Sept. [1509.], ex Hassensteyn.

Ioanni suo Sslechtæ de Wssehrd s. p. d. Delectaverunt me 1
 literae tuae. Intellexi enim ex his nihil te ex veteri in me animo
 ac benevolentia remisisse: id mihi perinde, ut debet, gratum est.
 Visus es enim mihi quatuor his annis ita mecum agere, quasi om-
 nino consuetam humanitatem exuisses, et amicitiam nostram, a me
 utique sincere cultam, nescio quomodo dissimulare: quae quam- 2
 quam mihi molesta essent, omnia tamen in dextram partem acci-
 piebam. Malo enim vel falli ab amicis quam quicquam sinistri de
 his suspicari, utpote qui ab adolescentia magis simplicitatis glo-
 riam quam aliarum rerum mihi vendicavi. Caeterum literis tuis 3
 factum est, non solum ut me instituti mei minime poeniteat, sed
 etiam ut cumulus quidam nostro mutuo aniori adiectus videatur:
 cuius rei, quandocumque volueris, periculum facere poteris. Sen-
 ties enim te privatum non minus a me amari quam nuper, dum

in republica nostra auctoritate floreris, amatus es. Neque enim ⁴ fortunam tuam unquam, sed te moresque tuos, fidem atque integritatem secutus sum, et homini de me optime merito non habere gratiam nefas putavi. Audio tamen te non prorsus curam reipublicae abiecis-
 se, sed ventitare Pragam, inter provinciales versari: neque id improbo, si studium tuum atque labor non irritus est. Caeterum quaecunque tentamus, nugae fabulaeque mihi videntur. ⁵ Nam et legibus nostris manifeste illudi patimur, et in decernendo adeo leves sumus, ut me interdum inconstantiae nostrae pudeat. Acciditque mihi saepenumero, quod Appio illi Coeco, ut, cum ⁶ nihil horum videam, audire tamen ea, quae aguntur, acerbum sit. Quamobrem prudentius fortassis faceres, cum respublica nostra depravatio corruptiorque sit, quam ut corrigi possit, si procul ab ea vitam ageres et literis sapientiaeque vacares. Sed haec ipse ⁷ videris. Quod scribis te propediem apud me futurum, gaudeo, gaudeboque magis, ubi ea, quae pollicitus es, praestiteris. Iuvabit enim post tot tempora non solum doctrinae tuae, sed etiam suavitatis atque facetiarum rursus participem esse. Vale. Ex Hassenstejn 15. Septembris.

b) EPISTOLAE INCERTI TEMPORIS: 147—170.

147.

Ad Iohannem quendam.

[1487.]

Iohanni suo s. p. d. Saepenumero audiivi te initiari velle. Id ¹ ego in praesentia neque reprehendo neque probo: quoniam laus et vituperatio huius rei ex eventu maxime pendet. Si enim caste, ² si pie, si religiose vixeris, si denique omnia virtuti integritatique postposueris, putabo te dignum sacerdotii nomine et honore: sin autem avaritiae libidinique servieris, mallem te in solutiori hic vita manere, quae severitatem minime prae se fert, et in qua si quid delinquitur, et humanum et venia dignum iudicatur. Honor quidem ³ sacerdotii magnus est et optimo cuique expetendus: a quo tamen Marcus euangelista ita abhorruit, ut pollicem sibi ob id amputaverit. Nunc autem sponte nos ingerimus et interdum (quod etiam dictu foedum est), quae virtute consequi non possumus, precio aggredimur. Contingunt ista, et haec me non fingere, et Deus ⁴ homines testes sunt. Ita fit, ut dignitas, quam gradum ad salutem fieri oportebat, laqueus nobis sit. Quid? ergo reprehendo parentes animarum? Minime. Caeterum nemo (inquit Dominus) ponens ⁵ manum ad aratrum et retrospiciens, aptus est regno Dei. Multi

iuvenes adeo sobrie, pudice continenterque in seculari statu vivunt, ut exempla quaedam pudoris et sanctimoniae videantur. Hi ubi initiati fuerint, ardent ira, avaritia aestuant, inflantur ambitione : in libidinem vero adeo ruunt, ut pecudibus similes esse appareant, neque se ipsos solum perdunt, sed innumeros alios exemplo suo in perniciem trahunt : et, quod pessimum est, nolunt ab ullo moneri et vitam flagitiosam sibi exprobrari, in extremis malorum ducunt. Neque tibi blandiaris, si et pecuniam in praesentia negligis et libidinis aestum non sentis. Tales enim et ii fuerunt, quorum modo mentionem feci : dum se firmissime stare putabant, corruperunt. Haec enim sunt nostri hostis machinamenta, hae fraudes, hi doli. Continet enim ad tempus tela sua, quo postea gravius feriat : non torquet avaritia, non urit libidine : quandoque etiam, si quid huiusmodi nobis a natura insitum est, sedat, mitigat : neque dubitat religionem sacerdotiumque suadere. Deinde securos iam et nihil tale metuentes totis viribus invadit : et quae prius cuniculis petebat, nunc aperte oppugnat. Obiicit oculis illecebras, 9
seculares, ad quas reverti iam minime licet. Proponit incommoda paupertatis, ut ad avaritiam excitet. Ingerit stimulos Veneris, cum iam ad coniugium confugere nefas sit : unde perturbatio mentis, taedia, vitae desperatio provenit, cum neque compescere et frenare cupiditates nostras neque explere possumus. Hinc innumeri apostatae oriuntur hinc Dei hominumque contemptus : hinc mores etiam in secularibus detestandi, ut longe melius iis fuerit curare rem familiarem, ducere uxorem, liberis operam dare, et huiusmodi affectus, quibus resistere non possunt, infra praescriptum legitimi tori cohibere. Non ego hoc ideo scribo, ut te a sacerdotio detererem, sed ostendo pericula viae, qua tibi eundum est, ut cautius incedas, et expendas vires tuas, si tanto itineri sufficis. Scio mihi obiici posse : non debere quenquam in se ipso confidere, sed in Domino, qui sperantes in se non deserit et humilibus dat gratiam. Caeterum ipse quoque in euangelio, ubi esse quosdam eunuchos, qui se ob regnum coelorum castrarunt, dixerat, subdidit : Non omnes capiunt verbum hoc, sed ii, quibus datum est a patre. Quamobrem vereor, ne tentare Deum sit et nimium de se praesumere, si qui, quibus forsitan a patre (ut in iisdem verbis permaneam) datum non est, hanc viam ingrediuntur. Neque tibi nunc coniugium ineundum censeo. Nam et hic status multa dura, multa periculosa in se habet. Magni tamen viri utrumque genus secuti sunt, ut, si exempla, quae imiteris, a me desideras, par prope numerus sit et coelibum et coniugatorum. Caeterum sapientis est omnia considerare et, quaecunque evenire possunt, ante oculos ponere, ne quando (ut ait Cicero) dicendum sit : Non putaveram, Vale.

148.

Ad Matthaeum de Donersdorff.

28. Oct. [1489.], ex Bulsavia.

Matthaeo de Donersdorff s. p. d. Audio te nonnihil offendi, ¹ quod in re pecuniaria alterius ope quam tua uti maluerim. Caeterum non est, Matthae, cur aegre feras, si te ad id tempus reservavi, quo non minus commode quam in praesentia beneficio tuo uti licebit: quanquam autem praeter consuetudinem seculi nostri facis, qui in ipso ortu amicitiae ea praestas, quae a coniunctissimis atque familiarissimis vix sperari possunt: mihi tamen studium erit, ne te quempiamve alium amoris in me et benevolentiae poe-
niteat. Vale. Ex Bulsavia 4. Cal. Octobris.

149.

Ad Ioannem de Pibra.

18. Iul. [post 1492.]

Ioanni de Pibra s. p. d. Quod quereris, raro te a me literas ¹ accipere, id nemini iustius quam tibi tribuere potes: qui me longo iam tempore nullis ad rescribendum quaestionibus provocas, sed, quotienscunque aliquis nostras Pragae est, occupatum te esse ais: quasi mihi simili excusatione uti non liceret. Itaque facito, ut, ² quae a me requiris, ipse prior praestes: et senties nihil esse nobis in scribendo impigrius. Vale. Iulii 18.

150.

Ad Ioannem de Pibra.

15. Sept. [post 1492.], ex Hassensteyn.

Ioanni suo de Pibra s. p. d. Acciperes crebras a me literas, ¹ si crebras dares: quoniam autem eo loco constitutus, ubi tibi materia scribendi deesse non possit, taces, patere me quoque in angulo provinciae latentem tacere, aut, quae tibi in me displicent, ipse prior in te corrige. V. Ex Hassensteyn 15. Septembris. ²

151.

Ad Cristannum Pedick.

[Ante 1494.]

Cristanno Pedick s. p. d. Audivi saepenumero, dum (ut fit) ¹ sermo de republica oritur, a nonnullis secula prisca et maiores nostros mirifice laudari, quod domi militiaeque admodum clari et excellentes fuissent, aetatem nunc nostram penitus despici atque contemni, tanquam nullum omnino magnum illustremque virum tulerit: quorum ego erga vetustatem observantiam et amorem non ² probare non possum. Quod autem aetatem hanc tanto studio insectantur, vereor, ne eorum potius mores quam tempora nostra in

culpa sint. Ut enim innumeros alios nullo virtutum genere priscis
 illis hominibus, quos tantopere admiramur, inferiores omittam
 quid tandem Ioanni a Sseleberg, R. Bohemiae cancellario (quod
 ad laudem, gloriam amplitudinemque pertineat) deest? Est in eo
 statura egregia, est vultus maiestatem quandam singularem prae se
 ferens, est, quod Cicero compositis moribus accidere ait, summa
 gravitas cum summa humanitate coniuncta, ingenium acutissi-
 mum: memoria omnium, quae vidit, audivit, legit, tenax: elo-
 quentia vero tanta, quantam ego in homine nostrate ne sperare
 quidem unquam ausus essem. Nil oratione sua gravius, nil con-
 cinnius, nil ornatus, nil copiosius. Quoties hominem audio, Ulys-
 sem mihi audire videor, cuius orationem hybernis nivibus simi-
 lem fuisse Homerus ait. Materiei sententiae, sententiis verba qua-
 drant. Fluunt omnia illaborata, quae alius intentissima cura conse-
 qui non posset. Eo perorante non Graecis, non Latinis cedimus,
 sive orationis elegantiam et suavitatem inspicis, sive copiam: et
 huiusmodi copiam, quae nunquam satietatem aut fastidium parit.
 Quis enim, loqui eo incipiente, non veretur, ne cito desinat? Iam
 vero omnibus verbis suis incredibilis autoritas et fides inest. Si
 quando in senatu de republica dicit, omnes in sententiam eius
 pedibus eunt: neque quisquam ex tanto prudentissimorum et elo-
 quentissimorum hominum numero aut adversatur ei aut se me-
 lius reipublicae consulturum putat. Nunquam ulla res magna sine
 eo agitur. In causis non advocati, sed testis pene fidem affert. Id
 facit aetas eius sancte integreque transacta et ab omni labe frau-
 dis et calliditatis prorsus aliena: neque tamen hae virtutes inso-
 lentem aut superbum reddunt. Faciles ad hominem aditus, dat
 grata responsa, non, intempestive accedentibus, irascitur, non
 precibus importune operam suam exigentium exasperatur: non est
 in eo, ut in plerisque aliis, subdola humanitas, qui, dum benigni
 videri volunt, plura pollicentur, quam aut praestant, aut praestare
 possunt. Quicquid hic dixerit promiseritve, adeo certa sunt, ac si
 ex Apollinis oraculo (ut poëtae aiunt) emanassent: quibus moribus
 hoc assecutus est, ut apud omnes omnium ordinum homines aequè
 gratus esset. Amant hominem, laudant, admirantur: virtutem in
 coelum ferunt. Ille se denique felicem putat, quem is amicitia sua
 dignatur. Nec iniuria: quandoquidem virtute invidiam superavit.
 Quanquam inventus est nuperrime iuvenis (nescio quis), qui satis
 impudenter eum laceraverit: caeterum temeritas sua non secus
 ab hominibus irrita est, quam si Thersites Achillem ad singulare
 certamen provocasset. Haec de Ioanne breviter apud te comme-
 morare libuit, qui suae virtutis et integritatis maxime conscius es,
 non laudandi eum animo (neque enim hic locus laudum suarum
 est), sed ad coarguendum eos, quibus tempora nostra plus, quam
 oporteat, invisae sunt, quos ego profecto cum huiusmodi moribus
 nihil a Timone illo (qui odium humani generis appellatus est) dif-
 ferre arbitror. Vale.

152.

Ad Ioannem de Pibra.

21. Iul. [1494. vel 1505.], ex Hassensteyn.

Ioanni de Pibra etc. s. p. d. Nihil remisisti ex veteri erga me¹ benevolentia, Ioannes, semperque similis tui es, neque me cessas quotidie novis meritis cumulare: ostendunt id literae tuae, quas nuperrime ad me dedisti. Ego vero gaudeo hoc tuo in me animo tibi gratias ago aut, quoniam id fortassis ex nostra consuetudine recessit, hoc saltem persuasum habe me ex eo numero esse, qui non minus turpe putant ab amicis amore quam ab hostibus armis vinci. Res tuae mihi curae fuerunt eruntque, fuissentque³ iamdudum omnia confectia, nisi a plerisque amicis, quibus negotium mandaram, hactenus frustratus essem. Ad invectivam, quam mihi misisti, nihil aliud, quod respondeam, habeo, nisi me asinum non vocaturum in ius, etiamsi ab eo calce ictus essem. Blacteret ille, ut vult, insaniat, quantum libet: nunquam tamen efficiet, ut mei obliviscar et cum eo probris maledictisque certare velim, qui totus probrum et maledictum est, neque illi unquam per me poëticum illud dicere licebit: Nec tam turpe fuit vinci, quam contendisse decorum. Me certe miseret hominis a me, ut scis, aliquando familiariter amati, qui, tot vitae famaeque periculis edoctus, a temeritate atque impudentia non cessat. Possem quidem facile refellere, quae obiicit: sed vereor, ne rem superfluum agam. Quod enim ad doctrinam, religionem moresque meos attinet, tacente etiam me apud doctos Christianos et vitae meae conscios causa mea defensa est. Caeteri autem eius similes quid de me sentiant, prorsus nihili facio. Vale. Ex Hassensteyn XXI. Iulii.

153.

Ad Ioannem de Pibra.

13. Ian. [post 1494.], ex Hassensteyn.

Ioanni suo de Pibra s. p. d. Ha ha he, quam ridenda, imo¹ et deridenda sunt, quae ad me scribis, putabamque me Plautinas comoedias legere, nisi tu indignatione tua rem totam reddidisses: certe vel severissimo Romanorum Catoni potuisses cachinnum elicere. Sed, pace tua dixerim, ipse ridiculus es, qui ita fremis succensesque, quasi nihil unquam eiusmodi aut in parietibus pictum aut in poematis lectum sit: ego autem non intelligo, quid ab his³ monstis aliud expectari debuit, nempe quorum alter ita aetatem traduxerit, ut nova haec eius levitas, anteactis moribus collata, tolerabilis sit: alter non solum libidines suas non dissimulat, sed ita vivit, ut gloriam inde petere popularemque auram captare videatur. Unde fit, ut ab hoc genere hominum continentiam, integritatem, pudorem sanctimoniamque exigere nihil aliud sit, quam apud porcos lautitiam quaerere. Neque te moveat, quod nomen aliquod in literis habent. Ut enim semina in steriles proiecta agros,⁵

non semper fructus producant: ita et literae, si quando in corruptum depravatumque ingenium incidunt, minime eam, quae speratur, frugem pariunt. Declarant id veteres philosophi, quorum plerique etsi doctrina ingenioque excellerent et se magistros virtutis profiterentur, tamen et pecuniae voluptatumque cupidi et libidinum gloriaeque servi fuerunt. Neque in religione nostra aut olim defuerunt aut hoc tempore desunt, quorum vita adeo cum oratione dissidet, ut nihil didicisse multo illis melius fuerit. Unde scitum illud unius ex ea turba est, qui, cum de patientia multa cotidie ex suggestu, ut fit, vociferaretur, fuissetque ei obiectum, quod tantus patientiae laudator levissimis de causis nonnunquam exanderet, facilius, inquit, est verbis quam operibus philosophari, et quum viginti annuis aureis contentus, tot praeclara loquor, ut, quae praecipio, etiam faciam, triplicata mercede adduci non possem. Quodsi iocari licet, paterisque me homines, ut tu vis, nocentes, quos aliquando familiariter amavi, defendere, quod neque Panaetius neque M. Tullius improbant, nihil forsitan poenitendum egerunt: nam cum multos imitati sunt, qui nulli mulieri legitime coniungi voluerunt, nisi eius faecunditatem prius experirentur, tum Guilhemum Saxoniae principem, qui puellam, cui assueverat, vix conclamato funere uxoris, patrum nostrorum memoria, sibi matrimonio copulavit, et, ne me putes tecum parum Christiane agere, Alexander pontifex Romanus eius nominis tertius, inter opera, inquit, charitatis non minimum est errantem ab erroris sui semita revocare. Adiungit deinde: Statuimus, ut omnibus, qui publicas mulieres de lupanari extraxerint et duxerint in uxores, id, quod agunt, in remissionem proficiat illis peccatorum, ut iam isti nostri amici, quae eorum pietas religioque est, non absurde fecisse credi possint, si puellarum, quarum simplicitati multis annis illuserunt, nunc saluti consulere cupiunt. Vale et pro nugis nugas accipe. Ex Hassensteyn 13. Ianuarii.

154.

Ad Ioannem Ridner.

[1495.]

Ioanni Ridner s. p. d. Etsi arbitror nonnullos esse, qui tibi vitio dant, quod aetate iam grandiusculus uxorem duxisti: ego tamen non improbabili (ut mihi videtur) ratione provide te sapienterque fecisse aio. Nam et melius honestiusque est coniugio al- ligari, quam vaga libidine uti: et is demum liberis gignendis aptus est, qui educare eos scit et tales reddere, ut vita digni sint. Cuius rei in hac barbarie nostra tibi potissimum palmam tribuo, qui non solum usu rerum, sed etiam doctrina caeteris praestas: quanquam fortassis hoc tempore minime tanto studio atque diligentia literis incumbere poteris. Neque enim curae et sollicitudines, quae rem uxoriā consecuntur, libere animum sapientiae vacare sinunt: nisi fortassis adeo fortunatus fuisti, ut huiusmodi uxore

tibi obtigerit, quae non solum moribus abs te institui, sed etiam literis erudiri velit. Quale monstrum si Boëmia nostra ferret, bi-
membrem puerum natum et pisces sub aratro inventos putarem.
Quae tamen omnia te circumspexisse et nihil omnino temere egisse
certo scio. Illud enim ridiculum est, quod quidam dicunt te nup-
tiali faci, utpote vigiliis et lucubrationibus exhaustum, parum ido-
neum esse. Neque enim adduci possum, ut tantam provinciam as-
sumeres, nisi tibi conscius esses te sufficere ad illud insatiabile
barathrum explendum. Si tamen imprudens errasti: censeo thymbra
utendum aut eo remedio, cuius opera uxorem in officio retinere
possis, quae tum demum frugi erit, si te non solum nomine, sed
etiam re maritum cognoscet. Vale.

155.

Ad magistrum Procopium.

[Ante 1498.]

Magistro Procopio, scribae veteris civitatis Pragensis, s. d. 1
Delector mirum in modum quum omni antiquitate, tum maxime
cognitione earum rerum, quae patria ab exordio sui passa est:
nempe quae saepenumero magnis seditionibus agitata, multa et
bello et pace praeclara gessit. Tales historias annalesque me tui 2
unius opera consequi posse spero: et precor, ut huic desiderio meo,
quantum fieri potest, medearis. Vix enim dici potest, quam gra-
tum mihi facturus es, si hoc abs te impetravero. Caetera autem ex
hoc meo Philippo Hamsburgio cognoscet. Vale.

156.

Ad Ioannem de Pibra.

[Ante 1498.]

Ioanni de Pibra s. d. Mutasti cum aetate mores, Ioannes, et 1
quasi serpens novam induisti pellem. Quum enim soleres frequen-
tes antea ad me literas dare, et si quid memoratu dignum eveni-
ret, diligentissime perscribere, nunc prorsus obmutuisti et ex pica
rana Seriphia factus es. Id cur ita esse arbitror, accipe. Dederam 2
tibi nuper Pragae quaedam mandata ad M. Procopium, sed quid
ille responderit, cognoscere non potui: forsitan etiam somniculo-
sius, quam par erat, munus ab amico iniunctum executus es, ut
iam duplicis culpa, hoc est, et silentii et negligentiae, reus sis.
Quamobrem redi, si sapis, ad pristinam tuam consuetudinem, aut 3
a me quippiam eiusmodi expecta, quod te, ut lethargum patien-
tem, excitare possit. Locutus est item quaedam Lucas nomine meo: 4
ea ut tibi curae sint, precor: facies enim et rem gratam mihi et
amicitia nostra dignam, si, quod ego tantopere cupio, abs te im-
petrari patieris. Vale.

157.

*Ad Ioannem, canonicum Wratislaviensem.**[Post 1498.]*

Ioanni, canonico Wratislaviensi, s. d. Scripsi his diebus ad 1
Bernhardum meum Adelmannum, quae sit tua mens in negotio
Augustano. Id tibi notum facere volui, ut rebus tuis (ut scis) con-
sulas. Si quid autem in me est, quod tibi usui esse posset, in- 2
venies me veteris tuae familiaritatis et in me benevolentiae minime
immemorem.

158.

*Ad Ioannem Passek.**12. Ian. [1500—09.], Hassensteyna.*

Magistro Ioanni, cognomento Passek, cancellario antiquae 1
civitatis Pragensis, s. p. d. Iudocus Egreensis, cognomento Ssmidl,
multis iam annis in sua republica opibus honoribusque floret: is
filium suum Ioannem linguae nostrae addiscendae gratia in contu-
bernio tuo esse cupit et, quoniam me putat auctoritate apud te
valere, eum tibi literis meis commendari. Id ego facile a me im- 2
petrari passus sum: nam et Iudocum amo et Ioannem, utpote
qui in familia mea a puero educatus literisque eruditus est. Quam- 3
obrem commendo tibi plurimum adolescentem precorque, non
solum ut eum benigne excipias, sed etiam ut ita tractes atque
instituas, ne spes expectatioque, quam de adolescente concepimus,
nos fallat, atque ut talem reddas, ut fortunis, quas a maioribus
accepturus est, dignus sit. Id non mihi tantum, verum etiam 4
patri patruoque suo magnopere gratum atque acceptum erit: neque
dubitabimus omni cura diligentiaque eniti, quando (ut res humanae
variae sunt) sese obtulerit occasio, ut tibi gratiam quam cumula-
tissime referamus. Vale. Datum Hassensteynae 12. Ianuarii.

159.

*Ad administratores archiepiscopatus Pragensis.**18. Aug. [1501.]*

Dominis administratoribus archiepiscopatus Pragensis s. p. d. 1
Causam domini Georgii, capellani mei, iam pridem cognovistis:
eam vobis nunc commendo precorque, ut commendatio mea ei
prosint. (Neque id facerem, nisi ea, quae cupit, iusta putarem.) Ten- 2
tavit is ante omnia, si res arbitrio boni viri componi possit: sed
conatus eius vani fuerunt, et ideo nunc ad vestrum auxilium con-
fugit. Vestrum nunc est hominem tueri et dare operam, ne auto-
ritas ecclesiastica, quae iam ubique fere in hac provincia viluit,
Cadanae quoque vilescat. Id mihi perquam acceptissimum erit. 3
Valete. Augusti XVIII.

160.

Ad Ambrosium de Plzna.

[C. a. 1501.]

Domino magistro Ambrosio s. p. d. Toties ad te eadem de re scripsi, pater Ambrosi, ut verear, ne aut importunum aut subrusticum me putes. Caeterum domino Georgio capellano meo plurimum obligor vellemque rebus suis consulere. Is in causa altaris sui bis vel ter iam apud te frustra fuit et labores sui atque impensae vanae fuerunt: itaque adhuc precor, ut in causa coram te iam saepe agitata auctoritatem tuam interponas et litem, quae tanto tempore finiri non potuit, sententia tua definias, maxime quum coloni agrorum vinearumque ad memoratum altare pertinentium parati sint et censum solvere et sententiae tuae parere. Petit etiam idem dominus Georgius, si quid tentat, quod fortasse iudicio tuo parum iustum est, ut abs te edoceatur. Promptus est ex voluntate tua omnia agere. Haec ut tibi curae sint, precor: erit enim mihi admodum gratum, si literae meae tantum apud te efficient, ut negotium, quod hactenus ad finem perducere non potuit, nunc tandem perducatur. Vale.

161.

Ad Bernhardum Adelmannum.

[C. a. 1501.]

Bernhardo suo Adelmanno s. p. d. Respondi iamdudum literis tuis, quas postremo ad me cum fasce librorum misisti, et dum chartam occupare cupio, non dubitavi, quicquid in buccam veniret, scribere: neque scio interim (quanquam ad me scripsisti), sive forsitan occupatus es, sive literae meae minime ad te pervenerunt. Quanquam autem in praesentia nihil in mentem veniat, quod te scire velim: quoniam tamen nactus sum hominem, qui Noribergam proficisci velit, statui ad te scribere aliqua, quae fortassis non iniucunda cognitu tibi erunt. De re literaria nihil habeo, quod scribam, nisi ut sis, qui hactenus fuisti. Vale.

162.

Ad Augustinum Moravum.

30. Sept. [1503—06.], Hassensteyna.

D. Augustino Moravo s. p. d. Dominus Theobaldus, patruelis meus, opera tua indiget et, quia me pro tua in me benevolentia plurimum auctoritate apud te valere putat, voluit literis meis tibi commendari. Itaque commendo tibi magnopere hominem precorque, ut nihil praetermittas, quo is desiderii sui compos effici possit. Quicquid enim beneficii in eum contuleris, tanti facturus sum, ac si in me contulisses. Vale, suavissime Augustine, et, si vacat, facito, ut ad me aliquid de rebus Pannonicis scribas. Datae subito Hassensteynae ultima Septembris.

163.

Ad Venceslaum, dominorum de Rosenberck cancellarium.

[*Ante a. 1505.*]

D. Venceslao, dominorum de Rosenberck cancellario, s. d. Familiaris meus Lucas referet aliqua domino tuo nomine meo: quae quoniam tibi committi solere scio, precor te, ut amicus sis, et literas domini, quas dictaturus es, ita modereris atque temperes, ut aliquid efficiant. Homo enim, quo cum mihi negotium est, durae admodum cervicis est, et qui, nisi coactus, vix unquam in officio permanet. Haec tibi forsitan suspecta sunt, sed si mores meos cognoscas, facile poteris tibi persuadere, me ab initio adolescentiae philosophum potius quam oratorem egisse et diligentius elaborasse, ut vera, quam ut causae meae convenientia loquar. Vale.

164.

Ad Ioannem de Pibra.

[*Ante a. 1505.*], Cadana.

Ioanni de Pibra s. d. Retulit mihi Lucas grandem tibi procellam imminere: atque ob id plus fortasse, quam hominem constantem facere par est, te angere. Aegre id et gravius, quam dici potest, fero. Quaecunque enim tibi eveniunt, ea ego pro meo in te studio non possum mihi non evenisse putare: neque profecto id humanitate mea accidit, sed virtute tua et singulari erga me benevolentia: cui nisi aliqua ex parte responderem, improbum me ac nefarium confiterer. Noli tu propterea concidere atque animo frangi: humana enim sunt, quae pateris, neque ulli sexui, aetati nationique incognita. Ea certe lege nascimur, ut omnibus fortunae ludiis expositi simus. Noli, inquam, committere, ut aut fortunae temeritas aut cuiusquam levitas plus apud te possit quam probitas innocentiaeque tua et vita ab ipsa pueritia recte integreque transacta: quae doctissimi homines solum bona existimant, quoniam nemini eripi auferrique possunt. Reliqua ex Luca cognoscas, qui non solum animum meum in te, sed etiam, quid tibi faciendum putem, coram referet. Cave tamen, ne tantum mihi tribuas, ut, quae a me emanant, oracula quaedam iudices, sed eos quoque consule, qui in his rebus peritiores exercitatioresque sunt. Quanquam enim ipse maxime omnium tibi bene esse cupio, vereor tamen, ne error meus atque imperitia tibi aliquod negotium facesseret. Vale. Cadanae.

165.

Ad Ioannem de Pibra.

[*Ante a. 1505.*]

Ioanni de Pibra s. d.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab urbe.

Satiatus es tandem carminibus, satiaberis brevi forsitan et prosa: quanquam nescio, cur tibi carmina displiceant, quibus omnes veteres philosophati sunt. Nam primus Pherecydes prosa res naturales conscripsit: licet inventio eius ad Cadmum referatur. Sed quoniam nimium delicato stomacho es, geram tibi morem et curabo, ut concoquere possis et nihil a me tale accipias, quod tibi nauseam fastidiumque pariat. Caetera Lucas referet. Vale.

166.

Ad Ambrosium de Plzna.

27. Dec. [1505—08.], ex Hassensteyn.

D. Ambrosio de Plzna, decano atque Pragensis ecclesiae administratori, s. p. d. Nicolaus Steinpach opera tua, nescio qua in re, usurus est, et, quia me putat non nihil auctoritate apud te valere, voluit literis meis a me tibi commendari. Itaque commendo tibi hominem precorque, ut eum et benigne audias et causae suae, quantum per ius aequitatemque licebit, adsis. Quale id totum sit, ex eo cognosces. Mihi certe gratum erit, si intellexerit Nicolaus literas meas sibi adiumento fuisse. Vale. Ex Hassensteyn 27. Decembris.

167.

Ad Ambrosium de Plzna.

20. Febr. [1506—08.], ex Hassensteyn.

D. Ambrosio de Plzna etc. s. p. d. Thomas, qui has ad te literas defert, nescio quid negotii apud te habet. Hunc tibi plurimum commendo: bonus enim integerque homo est, et cum rudis sit longeque aptior agro quam foro, salutem tamen animae suae minime negligit: quale id totum sit, partim ex eo, partim ex literis domini Laurentii decani Cadanensis cognosces. Mihi enim, ut dicam, quod sentio, non solum Thomae causa impraesentia agi videtur, sed etiam ecclesiastici ordinis, cuius auctoritas (nisi quamprimum calumniis insolentiaeque eorum, qui omnia divina humanaque turbare cupiunt, obviam itum fuerit) prorsus vilescet. Caeterum tu pro tua prudentia, virtute atque animi magnitudine facile his malis opem ferre mederique poteris. Ego solum hoc precor, ut iusticiae aequitatieque adsis, neque patiaris scintillam hanc, quae forsitan magnum aliquando incendium excitare posset, coalescere. Id si impetravero, et tu officio tuo funcius fueris, et ego me magno abs te beneficio affectum arbitror. Vale. Ex Hassensteyn 20. Februarii.

167.

Ad Wenceslaum, archidiaconum Bilinensem.

19. Maii [1506—08.], ex Hassensteyn.

Magistro Wenceslao, archidiacono Bilinensi etc., s. d. Retulit mihi Thomas homo meus, qui etiam literas ostendit, quas ad

dominum Laurentium decanum Cadanensem dedisti, ex quibus facile intellexi te, nescio quas, moras nectere neque velle ei diem nominare ad causam suam audiendam, nisi prius dominum Apollonium consulas: quodsi tibi id a dominis administratoribus mandatum est, ut in causa matrimoniali ex sententia et arbitrio laici procedas, aequo animo fero, neque me in provinciam nihil ad me pertinentem quicquam intromitto. Quodsi causa haec eo, quo caeterae solent, more tibi delegata est, minime aequum arbitror litem, cui facile auctoritate tua finis imponi possit, de die in diem differri: maxime cum dilationes tales non solum alteri partium onerosae sint, sed etiam in periculum animarum vergant. Nam, quod ais eum sine causa, die iampridem a te praefinita, comparere noluisse, ostendi potest te falli, neque ei defuisse causam, utpote cum homo rusticanus esset, neque quenquam intra tam breve tempus habere posset, cuius ope atque patrocinio ius suum persequeretur, confiteorque me auctorem Thomae fuisse, ut terminum sibi N. petat: nihil autem tum aut peccatum esse aut praeter ordinem iuris actum, nemo, vel mediocriter talium rerum peritus, ignorat. Itaque, si fieri potest, pater Wenceslae, etiam atque etiam rogo, ut huiusmodi excusationibus omissis partibus diem quamprimum ad comparandum statuas, deinde pro prudentia tua negotium tibi commissum ita, ut ius fasque expostulat, exequaris neque putes causam negligendam. Non enim de rubeo bireto agitur, sed de anima, quam Dominus salvator suo sanguine redemit. Id si impetravero, et tu officio tuo functus fueris, et ego me magnum beneficium abs te accepisse iudicabo. Vale. Ex Hassensteyn 19. Maii.

169.

Ad Christianum Langkheim.

17. Dec. [1506—08.], Hassensteyna.

Christiano Langkheim s. p. d. Quod literis tuis hactenus minime responderim, non fastu neque negligentia, ut tu criminari videris, factum est: sed partim quia variis occupationibus implicitus eram, partim etiam quod nemo se obtulit, qui ad te proficisceretur: alioquin profecto minime locum querelae tuae reliquissem: neque enim tam inconstans sum, ut, quem prius amare coepi quam nosse, antequam eius periculum facerem, negligam: neque tu is es, qui merito contemni debeas. Sed ut amantes et levibus ex causis offenduntur, et ipsi sibi somnia fingunt: ita et tu, quoniam te silentio meo laesum putas, nescio qualia, quae tamen a moribus meis prorsus aliena sunt, de me suspicaris. Caeterum ea omnia ego facile patior, teque tanto magis amabo, quanto amicitiae nostrae cupidiorum video. Quod autem in fine epistolae quaeris: an homini studioso literarum uxor ducenda sit, non est mihi tantum in praesentia ocii, ut tibi ita, ut res exposcit, respondere possim. Vulgata etiam ea quaestio est et a multis tam Graecis quam La-

tinis tractata, et in quancunque sententiam declinaveris, non derunt tibi et exempla et adstipulatores: si autem utique necesse est, quae sentio, paucis explicare, puellae Germanicae deliciores mihi videntur, quam ut coniugium literati ferre possint. Itaque quod in Graecia Italiaque tolerabile forsitan esset, nostratibus vix expedire arbitror: nisi aliquam Hipparchen aut, quoniam apud Germanos res agitur, Hrosvitam nactus es, quae non solum tori, sed etiam studiorum tibi socia sit. Ego certe nescio, an quem in Germania ex coniugatis magni in literis nominis cognoverim. Vale. Datae Hassensteynae 17. Decembris.

170.

Ad Ioannem de Pibra.

30. Apr. [1507—08.], Hassensteyna.

Ioanni de Pibra etc. s. p. d. Commendo tibi hunc familia-
rem nostrum Ioannem de Libnaw, qui ab ipsis pene incunabulis
in nostra familia fuit, precorque, ut homini pro tuo in me amore
non desis: neque attinet commemorare, quae abs te cupiet. Cogno-
scas enim ex eo omnia: facito tantum, ut haec mea commenda-
tio minime apud te vana sit. Quodsi forsitan offenderis, quod ra-
ro a me literas accipis, tu in culpa es, qui me nunquam ad scri-
bendum provocas, cum tamen in eo loco constitutus sis, ubi tibi
genus literarum ad me deesse non possit. Vale, mi Ioannes, et
Ioannem hunc nostrum in tuam fidem commendatum tutelamque
omnino accipe. Datae Hassensteynae ultima Aprilis.

c) EPISTOLAE IN ALIORUM NOMINE SCRIPTAE: 171—173

171.

Capitulum dioecesis Olomucensis

ad Alexandrum VI. summum pontificem.

[1493. exeunte.]

Ad Summum Pontificem nomine capituli dioecesis Olomu-
censis. Exposuimus iam pridem, beatissime pater, serenissimo D.
nostro Regi pericula reipublicae nostrae, quae Maiestas sua non
dubitavit literis nunciisque S. T. nota facere; neque tamen ex eo
tempore quicquam huiusmodi factum est, quo imminenti nobis ma-
lo consuleretur: nos autem interim erramus tanquam oves sine
pastore et insidiantibus lupis ad omnem iniuriam patemur. Dole-
mus mirum in modum nos eo redactos esse: dolemus ingemisci-

musque plus valere iniquas aliorum suggestiones quam iustissimas preces nostras et plus audiri eos, qui lanam spectant, quam qui salutem ovium quaerunt. Quid enim aliud suspicari possumus? Elegerunt patres capituli Olomucensis in episcopum Bohuslaum de Lobkovicz et in Hasisteyn: huius electionem Regia Maestas mira alacritate approbavit: hunc non nobilitas solum, sed omnes omnium hominum ordines tanto, quanto vix unquam quinquam alium studio consensuque expetunt: minime tamen confirmari potuit, quoniam scilicet S. T. eundem episcopatum alii contulit. Id enim solum in causa esse putatur. Caeterum nos R. Cardinalem Montis Regalis credimus magnum et illustrem virum esse, neque tamen eum, quem praefici oporteat. Quid enim nobis fructus aut utilitatis afferre poterit? Illene publico iudicio nobiscum praesidebit? Ille ius litigantibus dicet, qui Romae degit et fortassis nunquam ecclesiam suam aditurus est? Illene mores formabit, et linguae et consuetudinumstrarum prorsus ignarus? Illene haereses quotidie pullulantes sopiet et extirpabit, quarum origines fundamentaque solo auditu cognoscit? At Bohuslaus inter nos natus educatusque est, qui, si nulla alia re, ea certe potior est, quod maiore auctoritate ad pontificatum perveniet maiorque gratia populorum favoreque excipietur: et quicquid nobis oneris pro officio suo imponet, id acceptius tolerabiliusque videbitur. Quid? quod multa illius ecclesiae castella priscis illis tempestatibus ab iniustis possessoribus occupata sunt. Neque dubium est, si tumultus aliquis bellumve orietur, quod apud nos pene assiduum est, quin reliqua quoque simile naufragium passura sint. Ita fiet, ut, dum uni plus aequo studetur, totus ille pontificatus cum magna provinciae nostrae perniciet et Romanae sedis pessum eat. Num enim a Cardinali Montis Regalis defendi poterit, qui nullas hic clientelas, nullas amicitias sodalitatesque habet? Excommunicabit scilicet et a corpore militantis ecclesiae praecidet: quasi non sit multis experimentis notum, tale genus hominum quanti spicula ecclesiastica faciat. Inviti haec scribimus, S. P., neque quod adversari S. T. aut ullam culpam adscribere velimus (scimus enim, quantum veri Dei vicarius in terris potest), sed eos nobis graves putamus, qui ea tuis auribus inculcarunt, quae et iuri et aequitati contraria sunt, apud quos plus aurum potest quam Christiana religio, quorum tanta est ambitio atque avaricia, ut, dum eam expleant, et suas et aliorum animas perditum iri facile patiantur; hos, inquam, detestamur neque nobis solum, sed etiam immortalis Domino exosos credimus. Quamobrem, S. P., quoniam praesentes non possumus, saltem absentes, tuis sacris pedibus provoluti, humiliter precamur, ut tandem misertus nostri memoratum Bohuslaum nobis confirmes. Moveat S. T. felix memoria Friderici imperatoris, qui hominem tibi literis suis commendavit: moveat serenissimus rex dominus noster, devotissimus ecclesiae filius, qui id iam diu ex animo optat: moveant denique aequissima postulata nostra, qui inter tot persecutiones semper obsequentissimi Romanae sedi man-

simus. Consideret S. T., mora haec quam periculosa sit. Violantur ¹⁵ passim iura immunitatesque ecclesiae: depravantur mores: clerici laicique ex arbitrio suo vivunt, innumerae consurgunt haereses et animarum infinita vis in gehennam ruit, dum non est, qui negotia ecclesiastica aut consilio regat, aut authoritate moderetur. Haec si ¹⁶ a S. T. impetrabimus, optime animabus nostris consultum arbitrabimur: sin autem S. T. in sententia perseverabit, id saltem oramus, ne, quaecunque deinceps evenient, nobis tribuantur.

162.

Ioannes Sturnus ad Augustinum Moravum.

26. Dec. 1508., Hassistena.

Ioannes Sturnus Augustino suo Olomucensi s. d. Bohu- ¹slaus meus, imo etiam tuus, vir utriusque linguae, id quod non ignoras, humanissime Augustine, in primis eruditus, ut nuper in regiis istis nupciis summa voluptate, ita iam nunc in reginae obitu singulari affectus est luctu: quem tamen amarissimum luctum cum in rege statuisset, in se primum mirifice hac elegia est consolatus. Quod simulatque perspexeram, arbitratus operae precium ²fore, si et ipse rex, lachrimis iam pene confectus, tanta tamque praesenti consolatione non careret, hortari coepi hominem hic etiam subiecto epigrammate, vela ventis det et elegiam hanc consolatoriam ad regem, in cuius consolationem scripta est, prodire sinat. Sed, Deus bone, quis homini in edendis libellis nimis (quod ³pace sua dicam) modesto persuadeat, ut minora haec et exigua edat, qui maxima ita negligit, ut non pauca pridem a blattis atque muribus corrosa videres et absumpta? Quod ne huic quoque accideret libello, eripui invito nescioque auctore et exscripsi tibi, ut regi copiam eius facias, mitto. Scio enim, qua humanitate com- ⁴plecti solitus es a Bohuslao nostro scripta omnia, quem haud secus, quaeso, accipias, atque optimorum amicorum munera capere consuevisti, et boni consulas. Neque ob id minus tibi gratus sit ⁵velim hic libellus, quod meus non est, qui utique meus est. Per me namque ab interitu vindicatus, publicum, sed non sine tuo auspicio sortietur, non indignus certe neque auctore suo neque illo ipso rege ut magnificentissimo, ita invictissimo, qui, nisi me nostra fallat opinio, non poterit non proximas post Bohuslaum gratias habere et mihi publicanti et tibi reddenti. Ceterum si quid ⁶negligentius minusve castigate scriptum offenderis, librario, non auctori, velim ascribas. Addidi etiam huic alteram eius elegiam, non iniucundam, de sua peregrinatione. Quas utrasque si grato, ut non dubito, animo susceperis, reddes me ad alia quoque mittenda absque dubio alacriorem. Vale feliciter, et Sturnum tuum, ut soles, dilige. Datae Hassistenae MDVIII. XXVI. Decembris.

<i>Eiusdem Epigramma ad D. Bohuslaum de edenda Elegia.</i>	7
<i>Te Proceres omnes, omnes, Bohslaë, sodales,</i>	8
<i>Ut consoleris tristia sceptrā, rogant.</i>	
<i>Tu solus vigilēs doctus propellere curas,</i>	
<i>Spargis et in tēnues tristia quaeque Notos.</i>	
<i>Quid, precor, in tenebris digno sine honore profundis</i>	9
<i>Filia, quam genuit casta Thalia, iacet?</i>	
<i>Illā potest fuscās late detergere nubes,</i>	
<i>Clara quibus pulsīs aura per arva reddit.</i>	
<i>Prodeat illa, precor, moesto solatia Regi</i>	
<i>Afferat, in medium prodeat illa, precor.</i>	

173.

Ioannes Sturnus ad Bernhardum Adelmannum.

26. Dec. 1508., Hassenstena.

Sturnus Bernardo Adelmanno de Adelmānsfeldia s. p. d. Quam 1
 sincera quamque vetusta tibi, clarissime Adelmannē, cum Bohuslao
 nostro est amicitia, et ex mutuis vestris litteris et preciosis donis,
 certatim invicem missis, cognosco et indies magis magisque per-
 spicio. Iucundissimum visu est, quam concordī, quam benivolo et 2
 suavi eciam atque sincero et denique quam uno sitis animo con-
 iuncti. Praedicent alii Thesei cum Pirithoo, Orestis cum Pylade 3
 aliorumque id genus amicorum coniunctissimas voluntates. Ego cer-
 te, si quid dignum doctis me auribus confiderem daturum, pro vi-
 rili mea Adelmanni et Bohuslai amicitiam priscorum illorum omni-
 um amore arctissimo ostenderem arctiorem. Quae res cum ita se 4
 habeat, arbitratus rem indignam, latitare Bohuslai nostri penes me
 quiddam egregium, quod tibi, humanissime Adelmannē, ut cetera
 eius omnia, non sit commune, hunc iccirco eius nuncupatim mihi
 dicatum de avaricia librum homini tuo inscriptum, tibi mitto. Li- 5
 bellum quoque heroico scriptum carmine, in quo Christianos prin-
 cipes ad bellum contra Turcas hortatur, adieci, etiam atque etiam
 orans ac rogans, ut utrisque in publicum (digni namque sunt, qui
 ab omnibus legantur) tuo auspicio prodire liceat. In quo minime 6
 dubites velim gratificaturum te doctis omnibus, mihi vero singula-
 ris etiam benivolentiae in me tuae praestabis non mediocre testimo-
 nium. Vale feliciter. Datis Hassenstenae XXVI. Decembris MDVIII.

<i>Sturnus agit gratias Bohuslao suo.</i>	7
<i>Reddita Briseis, bis quinque talenta, lebetes</i>	8
<i>Et tripodes et equi Lesbiadumque cohors,</i>	
<i>Grandia quae dederat Pelidae munera Atrides,</i>	
<i>Et quae pollicitis inde daturus erat:</i>	
<i>Cuncta, Bohuslaë, haec libro leviora dicato,</i>	
<i>Donaque sunt donis sordidiora tuis.</i>	

APPENDIX.

EPISTOLAE AD BOHUSLAUM HASSENSTEINIUM SCRIPTAE.

1. App.

A Petro Schotto.

5. Sept. 1481., Argentina.

*Petrus Schottus magnifico atque generoso domino Bohuslao de 1
Hassenstein, domino suo plurimum amato, s. p. d. Quemadmodum
valeas, mi charissime Bohuslaë, intelligere maxime vellem. Equidem
valeo: in utramvis partem cape. Sum quidem sanus corpore et ita 2
mei fere omnes: sed animo vehementer langueo, quod amoenissima
illa et suavissima familiaritate tuâ careo: sola spe vivo. Scripsi ad
te antea per Laurencium mercatorem, quam longe a me ipso diver-
tissem et quanto dolore afficerer propter libros meos, qui nondum
venissent. Eadem me et amplior angustia tenet, quia, posteaquam 3
Veneciis eos dimisi, ne verbum quidem, ubi nam essent, audiivi. Quid
susplicari debeam, ignoro: nisi ex nundinis Franckpfordensibus ad
me deferentur, perditos credam. Ego, mi Bohuslaë, rem nostram ita
paro, ut quasi perfecerim. Deus inicium esto et finis. De theologia 4
admisit genitor, post aliquot tamen menses: interim tamen domi
sum et in re familiari, quae nobis nunc est intricata valde, vel
patrem praesentem iuvo, vel eius vices absentis gero. Quid di-
cam? Omnia cum molestia ago: at ea re a proposito nostro non 5
amoveor, sed potissimum impellor. Extra domum nihil ago publici.
Amicos aliquando convenio. Iudicium nequeulare neque spirituale
ullum vidi adeo, ut me doctores plerique Begialem doctorem vocent,
qui praedicaciones quam iudicia plus visitem. Cum matre rem no- 6
stram fundo, patrem moneo tacite nonnunquam, ut ab impedimen-
tis publicis absteineat, quae profecto semper augentur atque se ipsa
odiosa reddunt, quippe quae invidiam ampliorem creent quam gra-
ciam. Itaque de libris, quos emerim, quosve a te petam, nihil scri- 7
bo. A libris sum adeo abstinens, ac si cicuta infecti essent. Ubi pla-
ne omnia composuero (quantum hominum defectus admittit), ad te
scribam, quomodo ages. Id tibi certum sit: quantum ad me pertine- 8
bit, efficiam, ut, si volueris, simul salubrem vitam agamus: quan-
do id futurum sit, intra annumne an tertium, non possum adhuc
scribere. Nolle subito exasperare parentes meos, sed paulatim le-
nire. Mi Bohuslaë, habeo, qui me seducere conantur; habeo plures, 9
quam speraveram, qui me ad vitam beatam invitent. Eos ego amo,*

eos colo, imprimis doctorem Iohannem de Keisersberg, praedictorem nostrum: hic pro nobis non cessat orare Deum. Fui in thermis in Vuilthbaden. Illic quoque fuit is, de quo mihi saepe dixisti, prior Ratisponensis fratrum praedicatorum: qui cum te nosceret, familiaris mihi valde fuit. Mitto ad te codicillum quendam, non tam ob aliud, quam ut nomina instrumentorum, quae in eo continentur, ad artificia fere singula peculiariter probes, si Latina sint. Fac, ut litteris des operam. Curabo enim (Deus iuvet), ut aedificio devoto amoenoque simul utamur. Peram et pugionem misi ad te et dominum Ladislaum per Laurencium mercatorem. Fac, ut ad me scribas. Litterarum tuarum cupidus sum perinde, ut tu mearum. Dominum Ladislaum ex me plurimum salvere iube, et dominum Ulricum Fronsperger cum suis. Vale et me ama. Ex Argentina Nonis Septembris anno MCCCCLXXXI.

Hic, qui has litteras a me reddendas cepit, si Bononiae non manserit, sed Ferrarii veniet, rogo, si poteris, cura, ut apud honestos serviat, ita ut studio quoque vacet. Est enim mihi per amicos cognitus, diu versatus in Germania inferiori, quanquam ex patria nostra oriundus, studiosus, ut spero, bonarum litterarum.

2. App.

A Petro Schotto.

[1481. exeunte, Argentina.]

Petrus Schottus magnifico atque generoso domino, domino Bohuslao de Lobkovic et Hassenstein Bohemo, scholari Ferrariensi: domino suo plurimum observando, salutem p. d. Bis ad te iam pridem scripsi, Bohuslaë carissime: nec responsionem accepi ullam; quamvis nihil mihi tam molestum, quam quod, ut valeas, ignoro, et quod, quem erga me remque nostram animum conceperis, litteris nondum confirmasti. Turbatus ad te litteras priores scripsi, utpote qui suavissima familiaritate tua seclusus libris quoque meis caere coactus inter meos non usquequaque laetus degebam: ita ut non solum eis, quae cupe-rem, non potirer, sed etiam molestissima nonnulla videnda tolerandaque essent. Verum benignissimus Deus clementius nobiscum egit: matri incolumitatem reddidit, patrem animo patientem magis esse voluit, atque in rem nostram non modo fautorem, sed quasi suasorem. Nempe cum animadvertat vir plurimis laboribus functus nullam esse inter mortales gratitudinem, non potest non existimare be-aciorem esse eum, qui spem suam in Deum potius figit quam in hominem. Itaque cum sententiam meam ad pacem cordis propendere videat, non solum auctoritatem praestat, sed etiam laudat. Itaque quicior sum animoque laecior, et me libris meis, qui vix tandem appulerunt, aum per ocium licet, oblecto: reliquum fere tempus patri obsequor et praesentia mea plus quam manibus opitulator. Quamobrem non festino, ut abeam, sed interim paro, dum forte quicioribus parentibus meis absentia mea tolerabilior sit futura. Id, spero, exacta hieme mihi continget. Quod ubi incepero, clarius ad

te, quid et quomodo et ubi discam, perscribam. Tu modo fac ani-
mo constanti sis: nam omnino, si Deus nobis vitam concesserit, te
mecum habere in summis optatis habebō. Si nihil me ad quietem
hortaretur, vita patris satis superque impelleret. Opto te saepenu-
mero, ut unum saltem diem videas importunam obstrepentium con-
fusionem, hinc reipublicae causam offerentium, hinc sui ipsius, hinc
amicorum, hinc eorum, quos nunquam novit. Arbitraris nimirum
laborem eius ab ambiencium fastidio nihil inferiorem esse. Sed haec
satis. Tu fac, ut ad me mentem perscribas tuam, quid agas: quid
cum inceperis, quomodo tibi id, quod ago, placeat, quid in rem
nostram tibi consulcius videatur. Haec et si qua alia nostra inter-
esse putaveris, fac ad me certissime perscribas: id enim praeter hoc,
quod iucundissimum mihi fuerit, etiam conducibile pro coeptis
nostris erit, Patria nostra sano quidem aëre gratia omnipoten-
tis Dei fruimur, frumenta et vina solito cariora reddidit tritura et
vindemia parum ferax. Pacem nostram imperator sollicitat. Manda-
tis etenim arcissimis omnes imperio subditos adversus Ungarorum
regem cogere contendit. Item cum republica Thuricensium non om-
nino sincera nobis est amicitia. Abiit hodie pater meus legatus pro
republica nostra, atque ut obsequerentur nobis; una profecti sunt
legati episcopi Argentinensis, ducis Austriae, ducis Lothoringiae,
episcopi Basiliensis, reipublicae Basiliensis, Columbariensis et ceterarum
civitatum speciali nobis foedere iunctarum, ad reliqua sep-
tem coniuratorum, quos Suitenses vocant, capita, expostulaturi ini-
uriam nostris a Thuricensibus factam. Quodsi nihil profecerint, vere-
or, ne rumpendo tam grandi foedere causa iam sit conflata; sed
turbulenta monstra his sint mansuefacienda, qui seculi furibundas
rationes certo credunt examine regi posse. Id sane cum fieri neque-
at, nos studeamus (quoad eius fieri poterit) meliorem partem Ma-
riae imitari, ut ad ea, quae diligentibus se Deus promisit, adipi-
scenda digni censi mereamur. Vale. Si litteras ad Heinricum, S.
Georgii Bononiae tabernarium mittas, credo ad me transferentur.
Fac litteras Graecas et Latinas diligenter investigates, videre enim vi-
deor uiquid boni inde nos confecturos. Imprimis Deum ama, cuius
gratiam cum consecutus fueris, reliqua munificentissimus dabit. Do-
minum meum D. Ladislaum ex me salvere iube et reliquos, qui me
noscent. Firmo sis animo, fac Deum ut ames nitaris; litteris tan-
to diligentius indulgeas, quanto ad beaciorem vitam sunt conduci-
biliore. Cito, si me amas, rescribe.

3. App.

A Petro Schotto.

[1482. ineunte, Argentina.] — Responsum ep. 2,

Petrus Schottus magnifico viro domino Bohuslao de Hassen-
stein, inter amicos praecipuo, s. p. d. Quod non satis firmus fue-
ris, quod ad me scripsit Ladislaus, presbyter Vesprimiensis, ita me
conturbavit, ut legens pene exanimatus conciderem. Ab eo enim tem-

pore, quo me in familiaritatem arciolem admisisti, quae tibi obvenierint, non aliter iudicavi atque mea. Verum spero clementiorem Deum iampridem te nobis reducem restituisse, ideo ne verbum quidem addam. Quaternas ad te iam litteras scribebam, quamquam nisi primas ad te perlatas esse cognoverim: redierunt etenim reliquae. Ut valeas et quid rerum agas, cercior fieri vehementissime desidero. Ego domi, quantum fieri potest, me contineo: negocia forensia penitus declino et prorsus abhorreo, quietam animi amplius quam sollicitam exercitacionem meditatus: tametsi non desint, nescio quae, domesticae curae, quas absente patre libens suscipio hac potissimum causa, ut ea re ab ignavia me vindicare possim. Si qui ex his libris impressi sint, quibus me delectari putas, fac saltem si cercior, atque adeo, quicquid mea interesse putaveris, fac mihi significes. Quod confidencius ad te scribo, humanitas et benevolentia causam dederunt, quae me tibi tanta necessitudine iunxerunt, ut non videar ampliore tibi posse devinciri. Vale.

4. App.

A Petro Schotto.

16. Nov. 1482., Argentina.

Petrus Schottus magnifico atque generoso domino Bohuslao de Hassenstein, domino sibi maxime observando, s. p. d. Quamquam ignoro, ubinam gencium vitam agas, vir humanissime: prorsus ignoro, domumne redieris, an adhuc inter Italos bonis artibus operam impendas, tamen oportunitas M. Valentini de Ponte nuncii, cuius fidem te potissimum narrante cognovi, effecit, ut in castellum quoque vestrum litteras ad te meas perferri curarem, si forte a Bohemia responsionem merebuntur, quam in Italiam tociens missae non impetraverunt. Nemò mihi facile persuasisset, Bohuslaë, me ita tuo potuisse excidere animo, ut, non dicam, non mihi responderes, sed tuapte ad me non scriberes. Neque enim id convenerat, ut semoti corporibus ea quoque, quae ad amicitiam tuendam pertinerent, posthaberemus: quin potius tu dies noctesque obtestaberis, ut litterarum vicissitudinem nunquam intermitterem. Id ego cum pronissimo consensu spoponderim, quod ad me pertinet, sine fraude non modo implevi, sed et tibi viam significavi, qua tabellariorum ad me facultatem adipisceris. Verum tu — quid multis opus est? Si te mutuus amor, qui in me ipso nihil prorsus imminutus est, non movet, profecto exprobraciones hae in te nihil faciunt. Sed quid mecum stomachor? Gratus es. Magnificatorem, rerum vestrarum Pium secundum falsitatis insimulari non poteris, qui vestri generis viros fidei tenaces scripsit. Id etenim sic accipi oportere, ut Iohannes ille canonicus Eistetensis interpretatus est, tu satis superque testimonium affers: qui et id ita accipiendum iudicavit: non quod fidem servant, sed quia apud se teneant id, quod promiserunt, nec in effectum foris deducunt. Conviciari me tibi, si adhuc me amas, mihi non succensebis. Nosti enim, quam aegre paciatur amicus iniuriam ab ami-

co. Sin amare desiisti me, me Hercule, longe ampliorem increpacionem mereris. Sed omnem hanc indignacionem a me vindicabis vel unis litterulis, quibus de condicione et voluntate in me tua cerciorem feceris. Ego iam per Dei gratiam eum statum adeptus sum, in quo me sperem salutem animae Deo concedentē consequi posse. Plane si nihil aliud ex amicitia tua consecutus essem, saltem illud maximi facio, quod tuis hortacionibus prudentissimis in electione vitae, quam mihi constitueram, cum saepe vacillarem, corroboratus fui. Deo benignissimo sit laus immortalis. Sed vide, ut et tibi bene consulas. Scis, quid dico. Ego nunc usque adeo processi, ut ad festa Nativitatis proxima presbyterii sublimitatem sim suscepturus. Deus omnia accepta habere velit. Ubi annum residenciae complevero, in canonicatu sancti Petri iunioris, si Deus dederit, theologiae operam dabo. Tu, si quae reliquiae amoris apud te restant: quid suspensum tenes, fac intelligam. Per Nurenbergam, si tibi res cordi foret, commodissime mittere posses aut per patrem Iohannem Nigri, priorem praedicatorum leutisponensium. Quem cum diebus superioribus Argentinae convenissem, pollicitus est omnem se operam daturum, ut ad me litterae tuae pervenire possint. Vale. Ex Argentina a. d. XVI. Kal. Decembris. A Natali anno MCCCCLXXXII.

5. App.

A Petro Schotto.

10. Sept. 1487., Argentina. — Responsum ad ep. 12.

Petrus Schottus magnifico generosoque atque doctissimo viro domino Bohuslao de Hassenstein, regio secretario, domino praecipua singularitate observando, salutem p. d. Diuturnam expectationem meam abunde solatus es, suavissime princeps, et literis et muneribus tuis. Nam et bonam valitudinem tuam intellexi, qua mihi nihil optacius, et amicitiae nostrae perpetuae fructum cepi non mediocre, cum tabellarium tuum cum tam praeclaris ad me meosque donativis acciperem. Graciam habeo agoque, agunt et mei, peculiariter mater: referre enim non possumus. Itaque non ut pensemus accepta, sed quod tibi grata esse sencio, semina nonnullarum herbarum florumque salubritate, odore coloreve praestancium ad te mitto, praeterea quatuor evangelistas cum Canonibus Eusebii, cultros nostrates, tuis quidem non preciosiores, sed tibi, ut arbitror, rariores. Plura misissem, si non molestassem longum iter Michaelis istius, viri nobis propter te pergrati. Sed necdum scio, an ea, quae tibi per Eselbergum Nurenbergensem reddi curavi non diu post discessum tuum a nobis, praesentata tibi fuerint; et quas per Fridericum quoque tuum binas ad te dedi literas. Quarum alteras comitabatur doctrina de accentibus Graecis, alteras nescio quid aliud. Habentur apud nos in satis denso volumine omnes libri Platonis per Florentinum quempiam nuper translati. Eos si nondum adeptus fueris, fac me rogo cerciorem, ut tibi per Nurenbergam mittam, si quidem priora tuto illac ad te devenierint. Ad literas tuas redeo, quibus me non solum pe-

tis, sed pro iure tuo postulas iubesque, ut tibi praescribam, quid tibi in novo isto vitae genere faciendum sit, qui curiam regis sis accessurus. Ego vero, si tibi quicquam negare auderem aut possem, 7 iustissima id excusatione a me depellerem, cum non immerito notam vererer nequaquam imparem ei, qua Poenus Hannibal delirare dixit Phormionem Peripateticum de re militari praecepta dantem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset. Verum conabor saltem fretus 8 humanitate tua iussis tuis obtemperare. Impium enim duxi tibi etiam in his, quae vires meas superant, morem non gerere. Caeterum ne tardius ea praecepta legas, iam nunc tibi praefigendus est finis, in quem tendas et in quem dirigas arcum, ut Persius ait. Hunc cum 9 constitueris et frequenti ac iugi cogitatione menti proposueris, quaecunque media in eum finem accommodata esse conspexeris, ea complecteris: quae in avia ducent, ea declinabis. Etenim nihil adeo nos 10 facit imbecilles in ferendis adversis et impotentes in prosperis, quam quod, cuius rei gracia in mundum procreati sumus (felicitatis scilicet perpetuae), tam raro meminimus, et in eam promerendam non omnia referimus, quandoquidem omnia (culpam excipio, quae nihil est) diligentibus Deum in bonum cedant. Sed de his alias, ut spero. Fra- 11 trem Nicholaum e vita discessisse non ignoras; eum dum viveret, convenimus pater et ego, hominem inculto crine, vultu honesto quidem et macie rugato ac quasi pulvere consperso, qui longos ac proceros artus unica veste contegeret, blandis verbis et vere Christi- 12 anis nos acciperet; sine ulla tamen simulacione, quam hypocrisis vocant, sed simplici et abbreviato contextu quaesitus respondens. Eius tibi . . . diu quaesitam aliquando mittam: tum lacius de obitu eius et de his, quae inde secuta sunt. Incerta enim pro certis asse- 13 verare nolim. Misisti ad me tractatus quosdam, plenos profecto subdolis et hypocritis fallaciis, et qui facile potuerint animos simplicium pellicere. Quamquam enim parum adhuc intuitus eos fuerim, notavi tamen passim inter mella erumpens virus, ut tibi forte aperiam nonnunquam, licet nequaquam dubitem id tibi et clarum et certum esse. Parentes mei et, quas salutasti, soror eiusque filia eorumque coniu- 14 ges, singulariter doctor Keisersberg humile obsequium et gratiam pro muneribus habent. Fridericum etiam et Stephanum salvere iube. Vale. Ex Argentina IV. Idus Septembris. Anno MCCCCLXXXVII.

6. App.

A Petro Schotto.

5. Febr. 1488., Argentina.

Petrus Schoitus Bohuslao de Hassenstein s. p. d. Cogitanti 1 adhuc ac deliberanti mihi, quidnam ad te scriberem, quo desiderio tuo satisfacisse viderer, parantique nescio quid excudere, quod studia pristina redoleret, supervenit Fridericus tuus, immo noster, cum li- 2 teris, quibus promissum exigebas. Quod cum diucius differre nollem, existimaremque sacius esse, saluti tuae meaeque studerem quam ver- 3 borum ornatui, hunc ad te codicillum scripsi. Quem ita, ut in men-

tem quaeque veniebant, quae salubria cogitatu et opere iudicarem, compegi tua facilitate fretus, ut rudi conceptui parceres, et naturae tuae probitatie confisus, quod ea cupide lecturus sis et exercicio digna existimes. Crede mihi: parva sunt et stulta existimatione hominum imprudencium iudicata: sed parvulis intellectum dat Dominus, et ea, quae despectui sunt mundo, gratissima semper sunt Deo. De his, quae haereticorum doctrinam complectuntur, nihil attigi. Id notavi: diabolicis telis sauciatos fuisse primos eius haeresis autores sectatoresque. Nam sicut retibus voluptatum nonnullos et maiorem hominum partem captivatam habet, ita et telis amariorum affectuum et immoderati zeli quem plures vulnerat et occidit. Habet enim insidiosus ille venator animarum et recia et tela, ut Bernardus ait. Itaque ex furore zeli, quem dixi, in errorem tantum prolapsi sunt intellectu, ut, dum morbos praelatorum sanare velint, naturam ipsam et officium interimant, et malint credere naviculam Petri iam pene totam usque ad paucos suae factionis assertores submersam esse, quam confiteri peccata sua et tocus populi tales promereri pastores. Sed quid apud te his utor, qui sis in veritate orthodoxa firmissimus? Quamvis non careat periculo assiduus convictus, praesertim cum (ut dicit apostolus) haeresis ut cancer serpat. Sed de his hactenus. Fridericus si diucius, quam vellet, abfuerit, me culpato: eciam festinantem redire moratus sum. Atqui accepi tibi arma parari. Ut quid, obsecro? Num te (ne de clericatu et Christiana professione loquar) feliciorum in armis speras M. Cicerone, cuius es discipulus?

*Haud bene conveniunt nec in una sede morantur
Mars et Calliope.*

O si te armatum contueri mihi liceret, quam tu mihi ut studiis et bonis artibus aptissimus, ita militaribus insaniis ineptus videreris! Sed parce impudenciae meae. Vale, et me, ut soles, ama. Utcunque rem inchoaveris, monitorum, quae a me recipis, oblivisci noli. Iterum vale. Datum Argentinae Nonis Februarii. Anno Domini MCCCCLXXXVIII.

App. 7.

A Victorino de Wssehrd.

Ian. [1490.] — Responsum ad ep. 16.

Victorinus de Wssehrd D. Boh. Hasiste. s. d. Quam gratae mihi fuerint literae tuae, Bohuslae, Musarum et eloquentiae princeps, nequeo satis explicare, quibus benevolentiam erga me tuam non significasti modo, sed etiam liquido declarasti: quippe Satyram nostra tempora et mores notantem, quam nuper excudisti, et mihi dedicās, et iudiciolo meo examinandam pensitandamque permittis, vulgi, quod interdum (ut Flaccus ait) nil rectum videt, non contentus iudicio. Tantam igitur animi tui erga me voluntatem nulla unquam temporum diuturnitate obliterari aut e mente mea eradi patiar: quinetiam (quam referre non possum) habeo, dum spiritus hos reget artus, gratiam. Sed nunc ad Satyrae iudicium redeo, in quo alium quemvis

doctiorem ac literatiorem periclitari velim potius quam me. Quantula 4
enim sit in me vis ingenii, quantula doctrinae exercitationisque, ipse
vides: neque vero adeo impudens adeoque perditus videri studeo, quo
aliquid, cuius plane conscius mihi non sum, temere arroganterque,
id quod nonnulli faciunt, mihi vindicare praesumam, sed neque in
re literaria me certe in secundis tertiisque, quod Ciceroni pulchrum
videbatur, consistere puto, sed eum me potius esse volo, quem Fa-
bius intelligit, cum ait: Nemo tamen reperitur, qui studio nihil sit
consequutus. Sic itaque mihi conscius Satyram tuam discutere deque 5
ipsa pronunciare minime auderem, nisi ipse id fieri et vellis et iubeas:
cuius imperio repugnare nefas esse putavi. Dicto itaque parens, Sa-
tyram tuam (quam mihi non legisse solum ac relegisse, sed etiam
quam optime edidicisse et utile et iucundum fuerit) multum habere
salis et fellis iudico, nec candoris minus et, quod satyrae proprium
est, ut mordaciter, ita verissime improbos hominum mores insectatur.
Non enim fictum quicquam aut commentitium habet, aut quod ali- 6
quo teste probationeque indigeat. Luce clariora sunt, quae commit-
tere gestiunt, quos acerbitas Satyrae stimulat et pungit. Carpit enim
mordaci veritate omnium fere ordinum delinquentes, ab alto magna-
tum sanguine insurgens, perque minus nobiles discurrens, sensim ad
vulgus incertum usque descendit: et merito. Nullum enim fere mem- 7
brum in nostra republica reperias, quod non fractum debilitatumve
iaceat. Habet praeterea Satyra grave in sentiis pondus, excultum
in verbis splendorem, quae pulchre translata rebus aptissime cohae-
rent: ad haec magnam in rebus probandi vim, figurarum et sen-
tentiarum copiam non mediocrem et, quod maxime carmen huius-
modi decere videtur, libertatem paene Lucillianam. Et ipsa tota, si 8
quis eam paulo altius intueatur, quid aliud est quam vitae ingeni-
orumque eruditio? Siquidem per ea, quae avarae, superbe, luxuriose,
sacrilege, versute, callide, vafre, fraudulenter ac dolose facta detesta-
tur, quid fugiendum nobis, quidve sine contentione imitandum sit,
docet quam apertissime. Plura in eius laudem dicere supersedeo, ne 9
adulari magis videar quam vere laudare. Hoc unum si addidero,
orationi modum imponam. Felicem te nimium, Bohuslae, cui inge-
nium ipsa natura potens studio doctrinaque contigit excoluisse. Non 10
te poenitebit tot annos Bononiae alibique in studia iugiter incum-
bentem tot sumtus fecisse, cum sapientiam eloquentiae coniunctam
omni patrimonio omnique censu hinc abstuleris praestantiorum. For-
tunatam quoque Bohemiam, sua si bona norit, quae talem tantum-
que alumnus, prioribus (ut ego sentio) seculis nunquam habitum,
possideret. Haec in tuam et Satyrae tuae laudem dixisse sat erit: 11
neque enim is ego sum, qui me laudes tuas plene et pro merito
aequare posse putem; neque te adeo popularis aurae cupiditate agi-
tari scio, ut avide laudes tuas vel legere possis vel audire; quo vitio
non Demosthenem solum, qui et susurro aquae delectabatur, sed
etiam Tullium nostrum laboravisse legimus. Hic enim ab Lucio Luc- 12
ceio sui nominis illustrationem petens, ea in re efficienda eum le-
ges historiae negligere hortatus est, atque amoris suo plusculum

etiam, quam veritas concedebat, largiri: a quo ego te vitio tantum abesse, quantum me ab Luceio et multo magis quam ab Helenis seniores plebis abscessisse scio. Haec sunt, quae de Satyra tua, homo parum ingeniosus, minus eruditus, amantissimus tamen et observantissimus tui, sentit; cuius iudicium in partem accipias meliorem, precamur. Dat enim, quod habet, et dedisset amplius, si res ampla domi similisque affectibus esset. Reliqua de Satyra, quae lumen aliquod explanationemque desiderant, alia epistola demonstrabit et quaeret. Interea T. H. me totum utpote maiori et praecipienti commendo. Vale, et Victorinum tuum, ut coepisti, ama. Quod admones, Satyram privatos inter parietes contineri, ne dubita, fiet, ut iubes. V. F. Domi meae mense Ianuario.

App. 8.

A Victorino de Wssehrd.

1492. — Responsum ad ep. 22.

Victorinus de Wssehrd Bohu. Hasiste. s. d. Statueram iam pridem, vir magnifice, H. T. quatenus non datur pedibus, vel literulis meis adire, sed conatus meos hactenus tabellariorum penuria fregit: nunc autem frangere nullo pacto poterat Ioanne tabularum curiae scriba viam huic proposito monstrante. Reducem ego te, Bohuslaë, nobilium eruditissime, eruditorum nobilissime, post tot ac tantos tam magni orbis circuitus varios, populorum mores lustratos et urbes in patriam domumque tuam revertisse gaudeo. Doleo vero plurimum me aspectu tuo tuisque confabulationibus suavissimis fraudari: unde nonnihil emolumenti literarii me consequi posse certo scio. Discerem enim a te, quae nuper pedibus oculisque lustraveras, oratione repraesentante maria, insulas, fontes, flumina, lacus, montes, urbium terrarumque situs, varios praeterea gentium diversarum mores cultusque et alia id genus permulta scitu digna, quae apud autores lectitans non satis intelligere valeo: te super his dissertantem multo planius cognoscerem auscultando. Multis enim haec legisse tantum, tibi vero et vidisse licuit, faciliorque et, mea quidem opinione, certior est rerum cognitio, quam inventione acquirimus et experientia et cognitione, quam consequimur per doctrinam: qua duplici via omnem scientiam constare Aristoteles prodidit, inventionem videlicet et doctrinam. Utroque istorum modorum ego te cum antea semper, tum vero hoc tempore potissimum excellere et iudicavi et praedicavi, iudico et plane praedico. Nunc itaque ne salutis et felicitis reditus tui ingratus aut immemor animi tui erga me benevolentissimi iudicer, his te literis quoque haud magna cum re, non parva vero fide et integritate convenire statui: et venissem profecto ipse perlibenter, sed Fata obstant tristisque palus inamabilis unda Alligat etc. Scit enim M. T., scit purpuratorum nostrorum variam mutabilitatem, quibus vix unquam a paribus, nedum ab inferioribus satis fieri potest. Huc accedit, ne a Satyrico nostro discedam etc. Adde, quod nostrum omnium, qui litera-

rum studio flagramus, infelix genus est, convitiisque stupidorum patens: qui, si quid aliquando ex philosophiae praeceptis afferimus, id ipsum totum nobiscum et cum ipsa philosophia indignabundi contemnunt proiciuntque, ex libris nos loqui (utor enim verbis eorum) cavillantes. Consueverunt praeterea, quosunque doctos eruditosque viderint, cuiuscunque ordinis illi fuerint, Latine sapientes nominare. Vitio enim datur apud illos, esse doctos, esse eruditos, ita ut saepenumero, si lucrum temporale attendas, nil didicisse sit longe fructuosius et magis gloriosum quam multum in ludo literario promovisse. Gratissimum mihi fuit, quod me primum ex Venetiis verbis tuis per quendam mercatorem, deinde scriptis per epistolam salutare voluisti. Haec ego semper maximi ducam, abs te, tali tantoque viro, quod sine adulatione dictum velimus, tam remotis terris salutari: a quo non salutari tantum, sed nominari etiam summum honorem reputo. Tu vero haec scripta mea, quibus non fides, sed cum reliquis artibus bonis elegantia literarumque peritia deest, ab homine tibi deditissimo grato animo suscipias, nostrasque excusationes non commenticias, sed veras esse aestima, nec fronte caperata perlegito. Vale, et me pro tua mansuetudine ama. Datum domi meae 1492.

App. 9.

A Roderico Dubravo.

[1494-95.]

Rodericus Dubravus clarissimo viro Bouslavo Hasistensi s. p. d. Maxima me voluptate affecerunt litterae tuae, vir eloquentissime, quibus intellexi, quo amore atque benivolentia erga me sis et Carolum fratrem meum, quo fit, ut, si mihi necessitudine coniunctus esset nemo, tamen mihi tecum summam esse gratiam vehementer laetarer. Quod frater meus te summo studio et officio colit, nimirum est hoc muneris sui. Quod vero summa tua et incredibilis humanitas me tibi coniunxerit, magnopere laetor. Sed quoniam ad eloquentiae studia me vehementer hortaris, non deero voluntati tuae et ea cum iuris civilis scientia coniungam, quod saepe philosophi factitarunt, qui philosophiam numquam ab eloquentia seiungendam putaverunt. Praeterea illud unum quibus possum precibus obsecro, ut in fratrem meum, quem aequae ac me ipsum diligo, perhenni atque assiduo sis amore, qui, ut pro litteris capescendis Bononiam iter susciperem, mihi auctor extitit. Vale.

App. 10.

A Martino Mellerstat.

30. Oct. 1495., Choburg. — Responsum ad ep. 45.

Generoso Bohuslao de Lobkowitz et Hassenstein, domino suo gracioso, Martinus Mellerstat medicus s. p. d. Libellum de miseria humana proximis his diebus a te editum mihi que dicatum, vir om-

nium doctissime nostrique seculi virtutum singulare exemplar, tanta admiratione animique laetitia accepi, quantam vel scribere vel dicere homini impossibile est. Cum primum enim illum legerem, elegantia stili, materiae foecunditate locorumque auctoritate, vehementer miratus sum divinum stupendumque tuum ingenium, quod me iudice humanitus nusquam par habet, sed fere omnia excedit superatque: quod aperte et indiciis multis iam dudum novi. Vellem, generose vir, mihi esse, quo tibi gratias condignas agerem pro tam singulari munere: sed cum in eo me deficere certo sciam, malo ab inceptis desistere quam infecta turpiter relinquere. Satis sit, mi here, me in tuorum numero et esse et computari, qualis hic libellus meus inter reliquos meos libros extat. Primum enim omnium iure optimo locum sibi vindicat, cuius quotidianus etiam intuitus me in tui amorem admirationemque trahit et allicit. Vellem praeterea aliquid rari et tibi ignoti penes me esse, quod tibi dono darem, provocaremque te hoc pestifero tempore, quo irati Apollinis inclementia Musis placanda est, litteris, prout semper facis, incumberes ederesque novum aliquid, quo vel aeternum nomen posteris relinqueres, vel Martinum, quem tuum esse scis interque literarum studiosos computari, saltem tua opera doctorem redderes. Scripsissem dudum ad te, sed nunciorum defectu, cum nisi raro ad te comeant, in hunc usque diem distuli. Vale feliciter, mihi que ut deditissimo tibi in omnibus et per omnia impera. Iterum vale. Datum Choburg penultima Octobris. Anno etc. LXXXXV^o.

App. 11.

Ab Augustino Moravo.

24. Apr. 1497., Praga. — Responsum ad ep. 50.

Augustinus Moravus Olomucensis Bohuslao de Lobkowitz et Hassystein s. p. d. Legi epistolam, tuam libentissime, ut quam ab optimo erga me animo processisse novi, non ut eorum tamen aliquid, quae scribis, mihi inesse existimem aut arrogem temere, sed qui talis, qualem me praedicas, cupiam fore. Vidi et alteram Maiestati Regiae longiore orationis textu deductam, in qua sane satis superque ostendis, quantis viribus ad persuadendum enixus sis, dum insinuatione plus, quam dici possit, concinna et apta ita demum interiora subis, ut unum eius, cui scribis, non tam captare, sed suffurari (ut ita dicam) videre. Quid enim illic per deos immortales ommissum est? quam lenis, dum ad pervincendum aditum paras! Quas rursus non sententias vibras, cum animum occupatum quodam modo iam detines non lascivo illo dicendi genere, elumbique, fluxu ac pumicato, sed gravi, modesto decoroque atque aequabili cum dignitate et honesta quadam (sic enim dicere libet) orationis maiestate: quod ipsum antehac Demosthenem quidem apud Graecos, apud Latinos Ciceronem apprime legimus atque invenimus praestitisse. Sed ne assentationis vitium apud te, mi Bohuslaë, incurram, quod ipsum, ut perniciosum, tecum in commune abhominor, iam epistolae huic

modum imponere institui, te per sanctae amicitiae nostrae ius ac religionem obtestando, ne munere isto divinitus tibi tradito studii literarii cupidos prives; sed scribendo semper aliquid otii tui fructus gratissimos hisce etiam temporibus tribuas, ut omnibus deinceps pateat

*Summos posse viros et magna exempla daturos
Verecun in patria crassoque sub aëre nasci.* 5

Vale, mi Bohuslaë. Pragae celerrime XXIII. Aprilis: Anno Christi 1497.

App. 12.

A Bernhardo Adelmanno.

22. Dec. 1498., Eistat.

*Bernhardus Adelmannus D. Bohuslao Hasistenio s. d. Fateor, 1
suavissime amicorum, te plures librorum indices ad me misisse: ve-
rum me plures, atque hos, quam aliquando requirebas, tibi compa-
rasse, et tu fateare necesse est. Sed cum nil aliud mihi respon- 2
deris superioribus literis meis, quam me ex indicibus tuis facile co-
gnoscere posse, quos in primis libros requiras: si quid in futurum in
re literaria praeter voluntatem desideriumque tuum egero, tu an
ego iure culpandus sum, tuo relinquo iudicio. Sed ne te famelicum 3
aëre pascam, quotquot librorum habere potui in praesentia, tibi misi.
Quod si pluris, quam ego sperabam, vaeneunt, insatiabilem sitim
tuam et morae impatientiam meumque studium tibi obsequendi cul-
pato. Alchoranus deest modo, ut nuper tibi scripsi. Basilia enim 4
40000 passuum a nobis, ubi habetur, distat nec exploratum etiam
habeo, si eius mihi copia dabitur. Verum si tanto desiderio falsi 5
atque alieni prophetae vanitates scire (ut scribis) cupis, quanto te
veridicorum atque nostratum divina mysteria cognoscere optarem,
curabo, ut hac in re tibi quoque operam meam navem. Qui libelli 6
famosi apud vos spargantur, ignoro: arbitror tamen nihil dignum
laude de his dici posse, qui tunicam Domini inconsutilem quotidie
scindere student. Ego, ut scribam, quod sentio, tui praesentiam istis 7
invideo mihiq; ablatam esse saepissime conqueror: quod si ego hic
dignum me (ut scribis) locum assecutus sum, utinam et tibi ali-
quando contingat. Hoc ut assequaris, et voluntatis tuae atque divi- 8
nae opis erit et gratiae: mei vero officii, ubi opus erit, obsequi ac,
ut vota nostra suum aliquando effectum consequantur, qualescun-
que preces effundere. Vale ac me ama. Eistat. 22. Decembris. Anno 9
Salutis M.CCCC.XCVIII.*

App. 13.

Ab Hieronymo Balbo.

[1500.] — Responsum ad ep. 58.

*Hieronymus Balbus ad Hasistenium. Nae tu praevaricator es 1
egregius, qui libellos tuae fidei et patrocinio commissos non modo
subsannas, sed plane prodis: quanto es Demosthene nequior? Ille, ne*

Milesiis obesset, faucibus integris synanchen simulavit: tu, cum sis vel elephante validior, ne cuipiam prosis, in ranas et culices usque te deformas. En cui aliquid oneris imponas, qui ab ipso statim lime sarcinas simul atque clitellas abiecerit? et tamen adhuc meos libellos efflagitas suadesque, ut ad te versus, hoc est Athenas noctuam, mittam. Qui cedo? an ut tuum munus isthocensem? Nunquam, me Hercule, Glaucus et Diomedes tam dissimilia permutarunt. (Ego vero non permittam inter Catullianos sales Suffeni venena diffundi: siquidem in poematis illo sum nihilo melior.) An, quod verisimilius est, de mea inscitia tibi risum paras? At, ut es petulanti splene, cave cachinno istud agas: nam qui incipit esse derisor, continuo amicus esse desinit. Unum erat, cur optarem ad te meas nugas mittere, ut castigarentur, ut vapularent, ut errorum poenas et ungue et obelis luerent. Tu vero (ne a Socratico instituto discedas) sapientem dissimulans insipientem agis et, qua es vafredine, infra calceum te quoque demittis. Dices (ni fallor), cur ego amicum offendam in nugis. Hae nugae, mi Bohuslaë, ad seria ducunt. Neque tamen adeo sum mollis et delicati ingenii, ut hominis, praesertim eruditi, lituras fastidiam: nisi contendas in meo carmine non multis opus esse lituris, quippe (ut ait ille)

Emendare iocos una litura potest.

Tu ista videris: ego quidem infelices chartas diutius cum blattis et tineis rixari non permittam, sed quamprimum Deucalionis aut Vulcani opem implorabo, ut eorum suffragio ab omni prope vindicer infamia; sin autem istam tuam ironiam missam feceris duxerisque, aliquando satius esse patrocinari quam praevanicari, mox aderunt clientes, fores pultabunt, palinodiam quoque recinent et tuo muniti praesidio vel ipsos, si oportuerit, Areopagitas confidenter adibunt. Interim Microcosmum nostri Sslechtæ auscipe, illius, inquam, Sslechtæ, quem ambo proximis comitiis in triumviratum literatorum cooptaveramus. Idem, ne scilicet inofficiosus esset, nos nuper duumviros censorios delegit, de quorum iudicio aut stet aut cadat. Ego vero rem integram totam ad te defero, et de quo nondum collega cognovit, id arroganter nec praeiudico nec revoco ad arbitrium meum. Sed heus tu, valde bella, me Hercule, et urbana abs te mihi nuper est epistola reddita, ita venustis scatens salibus, ut iam non nemora et saltus, sed salinas colere videaris. Ommissis tandem gerris: in hoc publico conventu, mi Bohuslaë, tuo consilio, favore atque industria plurimum indigebam, ob rem praesertim domesticam stabiliendam, quae in tantum est quassata, ut propediem (nisi quis deus respexerit) ex oratore arator fieri cogar: nisi malim ad Plautinas molas confugere aut Cleanthis puteum exhaurire. Laudant nos quidem uno ore omnes et, ut magnifice loquar, etiam admirantur: sed ut pueri lunonis avem.

Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum?

Iccirco, si per occupationes tuas Pragam venire nequis, decrevi primo quoque tempore ad te proficisci et id demum exequi, quod tu vir

omnium integerrimus in rem meam fore arbitraberis. Vale, amicorum optime, qui eruditionis nomine nec in medio Parnasso cuiquam ex primo loco concesseris: nam

Montibus in nostris necdum tibi certat Amyntas.

App. 14.

A Roderico Dubravo.

[1501.]

Rodericus Dubravus Bohuslavo Hasistensi s. d. Quanta sis animi praestantia praeditus, quantave humanitate et benivolentia erga me existas, vir eloquentissime, binis litteris, quas ad me scripsisti, optime intellexi, quibus quantum oblectatus sim, nequeo verbis consequi. Est profecto humanitatis eos officiis benivolentiaque prosequi, a quibus plurimum diligimur. Ex quibus potissimum, quanto patria nostra sit Bononiae obstricta beneficio, cognovi, cum te Bononiensi gymnasio magnum quiddam debere fateris. Nescio autem, quanto plus quam patriae, cum patria meo quidem iudicio multum tibi obligata sit, quod te tanta doctrina atque verborum elegantia ornatum civem suum audeat dicere, tuoque nomine ei liceat gloriari. Cum autem scribis te mihi non parum debere, id, scilicet non parum debere, efficit, ut tibi maiori quam ante sim devinctus beneficio, videaturque eorum, quae acceperim, usuram solvere. Id proverbium, quod a Pescennino Nigro didicisse scribis: Viventem laudare est irridere, pace tua dixerim, oblivione delendum esse existimo. Praeclarum enim est, quae plerique mortis periculo assequi vix poterant, ea te, dum in humanis es, consequi. Non te praeterit duos Decios, ut laudem adipiscerentur, mortem vita potiore habuisse; fama recte factorum, si, dum vitam agimus, laudamur, ad eos etiam pervenit, quibus superstitibus sumus, quod certe non perveniret. Quocirca si omnes tuas laudes oratione non consecutus sim, te semel atque iterum obsecro, ut tuarum virtutum magnitudini quam meis ineptiis tribuas. Vale. Me, ut coepisti, ama.

App. 15.

A Roderico Dubravo.

[1501.] — Responsum ep. 76.

Rodericus Dubravus de Boëmia ad clarissimum virum Bohuslavum Hasistensem. Complures et quidem viri doctissimi libros suos aut principibus aut civibus nobilibus, quibus opes divitiaeque insignes sunt, dedicare solent, non ut eos iudices faciant, sed ut eorum, quos immortales facere credunt, amorem procurent, a quibus et honores et opes se assequi arbitrantur. Hi profecto non modo appetentes pecuniarum censentur, verum etiam adulatores iudicantur. Te autem, Bohuslave, vir praestantissime, cui meum libellum de scribendis epistolis dedicarem, praecipuum existimavi, quod memoria nostra arcem eloquentiae tenes, quem si iudicio tuo comprobabis et

eum nullo vicio contaminatum dices, facile mihi persuadebo egregiam navasse operam. Quid si pecuniae avidus essem, honoris aut gloriae cupidus, non tua opera atque consilio non modo opes, sed etiam honores assequi possem, cum vir sis doctrina, ingenio, opibus praeditus? Quocirca velim, cum ocii quicquam nactus fueris, in eo legendo verseris; quem si a te probatum iri intellexero, non gravabor eius legendi copiam aliis facere. Vale.

App. 16.

A Roderico Dubravo.

[1501. exeunte.]

Rodericus Dubravus Bohuslao Hassistensi s. Quum superiori proxima aestate, illis longis diebus otium mihi oblatum esset, essemque illo aestu magno in legendis libris prorsus confectus, id totum impendendum sum ratus in historiam Vlastae literis tradendam. Quae etsi non minimum laboris mihi attulerit, tamen delectatio, quam ex mulierum admiratione percepi, et gloriae aviditas, quae me plurimum iuvat, laborem levare videbantur. Sed quoniam mihi multum placere nolo, et blandiri omnia, quae scribo, videntur, ne eo modo deceptus cunctis ridendum me praeberem, ad te prius, utpote ad principem literarum ac de lingua Latina optime meritum, eam proficisci debere mihi persuasi, ut tuis manibus attrectaretur, priusquam ad invidorum et malevolorum manus perveniret, qui si nihil sapere didicerint, saltem inanem scientiae persuasionem se habere haud ignorarent, et ceteris bene facere haud impedimento essent. Quare, vir praestantissime, ut paucis utar, eo quod epistola in calce libelli ad te adiuncta est, rogo, ne graveris id, qualecunque sit, cursim perlegere, illa vero, quae in principio historiae sunt, ubi mentio de Bohemis fit, studiose perpendere et examinare. Id si feceris, quod te facturum non dubito, mihi persuadebo te pristinam benevolentiam erga me adhuc prorsus retinere. Vale.

App. 17.

A Roderico Dubravo.

[1501. exeunte.]

Ad clarissimum virum d. d. Bohuslaum de Hassisteyn et Lobkowitz Roderici Dubravi epistola. Egregia excellensque virtus tua, vir clarissime, me in hanc sententiam impulit, ne historiam Vlastae, superioribus diebus a me conscriptam, cunctis legendam praeberem, nisi eam prius ad tuam limam deferrem; quippe uti tibi videbitur, ita censebo faciendum esse. Tua enim eximia virtus non solum nostrae nationis hominibus, verum etiam exteris gentibus adeo clara existit, ut tibi facile concedendum, neque id immerito, censeant principatum in omni genere scientiarum. Quod cum ita sit, nulla me tenet dubitatio, si tibi placuerit, ceteris quoque perfacile placituram, eo quod tuo ingenio et virtuti ab omnibus tantum tribuatur, quan-

tum olim Pythagorae a Pythagoricis, cuius auctoritati sine ratione acquiescere solebant, id solum dicentes: Ipse dixit. Quocirca vir praestantissime, pro tua in me et mea erga te summa benevolentia a te peto, ne id facere recuses. Tua enim arbitrato ipsius legendi potestatem cunctis facere haud gravabor. Vale.

App. 18.

A Ioanne Sslechtsa.

20. Iunii 1503., Buda. — Responsum ad ep. 87.

Ioannes Sslechtsa D. Bohuslao Hasistenio s. p. d. Quod tibi de negotio episcopatus Wladislaviensis tam diu nihil significaverim, id non mea neque domini Turzonis caussa et negligentia, sed infirmitate illius. qui cum literis reginae Poloniae ad regem Alexandrum Lituaniam missus fuit, accidisse cognoscas. Nam cum in Vilno, quae est civitas Lituaniae, aegrotare ac semper deterius habere coepit, coactus fuit rex Poloniae per quendam familiarem suum reginali maiestati Poloniae similiter et regi nostro respondere, quod responsum tale fuit: Si de episcopatu Wladislaviensi, vivente adhuc episcopo eiusdem loci, aliter dispositum et ordinatum non fuisset, quod illum maiestas sua ad instantiam regis nostri filio Turzonis ita libenter contulisset, sicut ipse acceperat: sed elegit et accepit sibi praedictus episcopus, cum adhuc viveret, in coadiutorem quendam secretarium maiestatis regiae, accedente voluntate et consensu summi pontificis simul et regis, ille post episcopi mortem statim ipsi in episcopatu successit: quae res immutari non potest. Itaque nescio quo malo fato semper ita evenit, ut in rebus tuis nunquam voti compotes esse possimus. Et forsitan divina maiestas (cui omnia prius, quam fiant, cognita sunt) videns, quod tibi aliquid ex eo, quod optavimus, si fuisses assequutus, mali et incommodi contingeret, mavult hoc in alium, quam te innocuum, servare et retorquere: Quodsi ita est, committamus haec voluntati et arbitrio divinitatis suae: quod et Socrates (ut est apud Valerium Maximum) sentire et admonere videtur, cum inquit: nihil nobis esse aut appetendum ultrave petendum a diis immortalibus, quam ut bona tribuerent: quia ii demum scirent, quid unicuique esset utile. Et paulo inferius: Desine igitur stulta futuris malorum causis quasi felicissimis inhiare, teque totum coelestium arbitrio permitte etc. Gratulor tibi plurimum, quod te istis curiae molestiis vel potius miseriis tempestive eripuisti et quietae vitae simul et honestarum literarum studiis tradidisti. Nos hic more solito, in medio acervorum auri et argenti, cum rege miseri et inopes vivimus et puto amplius vivemus. Nisi enim maiestas sua rebus suis aliter consuluerit et providerit, vereor profecto, ne crescentibus malis his nosque quotidie magis urgentibus, regnum istud brevi relinquere et alio se nobiscum conferre cogatur. In isto conventu, qui his diebus certe satis frequens habitus fuit, nihil omnino de rebus suis nec egit nec disposuit: qui si iam non sui, saltem coniugis et futurae sobolis maiorem curam et rationem habere deberet. Dictum est his, qui

res et negotia maiestatis suae turbant et impediunt, coram Cel. S., in faciem et testibus comprobatum, quod talia et talia faciant. Eos iustissime corripere et castigare potuit: sed neque os aperire, ut eis aliquid diceret, voluit, atque ita conventus ille dissolutus est: in quo nihil aliud factum neque conclusum est, quam induciae Turco ad septennium firmatae. In ducatus Silesiae nisi illae lites et discordiae inter spirituales et seculares noviter emer- sae, per graves et maturos viros componentur et ad concordiam deducantur, timeo, ne seculares, facto in eos impetu, omnes si non interficiant, locis tamen suis eiiciant et bona eorum occupent totque novis et variis haeresibus provinciam refertam faciant, quot neque in N. aliquando fuerunt. Omnes enim, ut cognoscas, duces, barones, nobiles et civitates contra eos coniuraverunt: quod malum, vix in una seta ligatum, cervicibus spiritualium imminere videtur. Nos autem rogati et stimulati, semper dormimus et sicut alia, ita et hoc flocci facimus vel potius per ignaviam negligimus. Libros et arma tua cistis imposita et conclusa, quae apud me reliqueras, misi Pragam ad Ioannem patrum meum per quendam vectorem mercenarium, cui decem floreni dandi sunt. Misi tibi praeterea caniculum parvum mei Placzek per Annam coniugem barbitonsoris mei e Litomierzicz, ubi eum, quando tibi videbitur, repetere poteris. Vale optime, meque commendatum habe. Budae 20. Iunii. Anno Christi M.D.III.

App. 19.

A Bernhardo Adelmanno.

3. Sept. 1507., Augusta. — Responsum ep. 127.

Bernhardus Adelmannus D. Bohuslao Hasistenio s. d. Postquam tibi nuper scripseram atque quosdam libros miseram, ii supervenere, qui in catalogo notati sunt. Quos etiam illico ad te mittere volui, ut, si tibi in re literaria, dum Constantiae fui, negligens visus fueram, saltem eam negligentiam, si quam commisi, pro mea facultate resarcirem. Politica S. Thomae ac Haly, utrum prius tibi miserim necne, ignoro; afferuntur etiam quotidie novi scriptores super libros sententiarum aliosque sacros libros. In his cõemendis quid mihi agendum sit, cupio certior fieri. Licet enim omnia meo iudicio commendaveris, sciamque, in qua parte me excedere velis: tanta tamen copia novorum autorum, ac eorum, quos tibi per 25 annos misi, aliquando me dubium insciumque, quid mihi agendum sit, reddunt. Quare si tibi ac mihi rem gratam facere volueris, fac resciscam, quos libros habeas, quosque habere velis. Nollem enim meo ex studio tibi obsequendi aliquod incommodum nasci: utar nihilominus pro meo iure tuaque voluntate, facultate mihi in libris emendis abs te tradita, atque si non inhiueris, etiam abutar: quoniam ita agere me iubes. Guntherus de bello Lygustico, quem Lygurinum appellant, mea ac aliorum opera, ne saltem penitus periret, impressoris vero incuria satis mendose, ut forsitan legisti, impressus est: si tu, pro nostra omniumque Germanorum gloria ac tua eruditione, eum emendares, rem nobis gratissimam

faceres : dignus enim nobis visus est, qui tuam subiret censuram. De apparatu belli ac nostratium transitu in Italiam vereor, ne multorum, ut nuper tibi scripsi, expectatio frustretur, tum ob pecuniarum inopiam, quas (ut nosti) nervos belli vocant, tum etiam ob eorum, qui praesunt, perfidiam ac ignaviam : tum quoque ob peccata nostra, quibus forsitan effecimus, ut hypocritae regnent super nos. Hac hora intellexi Lucam obiisse. Vale, ac me ama. Augusta. Anno Salutis 1507. tertia Septemb.

App. 20.

A Bernardo Adelman.

7. Apr. 1510., Augusta.

Bernardus Adelman de Adelmansfelden suo Bohuslao de Lobkowitz ac Hassenstein s. p. d. Scripsisti nuper me more medicorum tecum egisse, qui amara dulcibus miscent. Fateor, mi Bohuslae, me commotum tuis respondisse litteris, nec quicquam in mente, quod a labiis distet, retinuisse. Non quo te (quod Deus avertat) e numero amicorum meorum, quorum primus ac praecipuus iam ab adolescentia fuisti, abicerem, sed qui suspicionem istam tuam e medio tollerem tecumque quasi cum altero me agerem. Amo enim te puro veracique (ut ita dixerim) amore amaturusque sum, quoad vixero. Quare facessant, quaeso, huiusmodi suspensiones, ac deinceps non excusacionum, sed amoris ad nos scripta mittamus. Quod nostra intelligere desiderasti, libenter tibi vicem redderem, sed credito mihi eorum meminisse taedet ac piget. Nam ea tu unico verbo prudenter depinxisti, dum ec non herere, sed retro cedere rescripsisti. Et utinam tantum retro cederent ac non penitus interirent ! Periit, credito tuo Bernardo, apud nos penitus ac extinctus est militaris vigor, fides, religio, quibus olim ceteris prestare dicebamur. Ac loco eorum Italica ista effeminacio, fastus, perfidia ac caetera vicia succedere, quae si enumerare vellem, dies me deficeret. Sed ut et tibi unico verbo mentem meam significem : Initalicati penitus sumus, mi Bohuslae. Versamur quottidie cum Italis, Gallis ac Hispanis ac ita eorum mores induimus, ut non nos eos, si videres, esse, qui fuimus, mecum, minime dubito, libere affirmares. Hec tibi, quem unice amo, ex animi dolore minime reticere potui. Forsitan intelligere quoque cupis, quid in dieta ac conventu hic agatur : Hoc, mi Bohuslae, quod in superioribus actum est, ut cum maiori damno ac dedecore res nostre depereant. Quodsi ista fie... ..ra perderentur, essent tollerabiliora. Sin vero (quod verior) ...scitur. Orandum est, ut iram suam a nobis avertat. Misi tibi ...solare, si tui stomachi esset, gauderem. Usum ex in... ..cipies. Durandum cum nonnullis opusculis. Idcirco tibi non ...eorum paucitatem amissionem timui. Cum vero pax, quam ...speramus, inita fuerit, cum fenore recipies. Vale ac dec... ..sidium meum ! Auguste VII. Aprilis. Anno Salutis MDX.

Generoso ac docto domino Bohuslao de Lobkowitz ac Hassenstein baroni ... ac amico singulari.

ANNOTATIONES CRITICAE.

. . . *cf.*: confer - *comm.*: commentarius - *ed.*: editio - *ep.*: epistola; *epp.*: epistolae - *m.*: manus - *om.*: omittit, omittunt - *p.*: pagina; *pp.*: paginae - *s.*: sive - *s. m.*: secunda manus - *sc.*: scilicet - *sqq.*: sequentes (paginae) - *v.*: vide.

Menda typographica evidentiā editionum nonnumquam relicta sunt. — Variantes lectiones ad scripturam attinentes in Annotationes Criticas assumptae sunt (litterae - literae, otium - ocium, sincerus - syncerus, quae - que etc.).

BOHUSLAUS HASSENSTEINIUS: EPISTOLAE.

a) Epistolae certi temporis: 1—146.

1. — Tr - *cf.* A. Podlaha: *Bohuslai de Lobkowicz epistola ad Iohannem de Krumlov, decanum Pragensem, in opere: Conspectus codicum manuscriptorum bibliothecae capituli metropolitani Pragensis, pars II., Praga, 1922., p. 293. et Ryba, ed. r, pp. 119—20.* - 1 ecclesie Tr - 2 doctrine Tr - tante Tr - sapientie Tr - 3 Lelot Tr - referrem Tr - 4 preclaram Tr - etas Tr - familie Tr - tue Tr - eo| ego T - 5 A.: *Alexander (de Krumlov): cf. Ryba, ed. r, pp. 19—20.*

2. — smt - *cf. Ryba, ed. r, p. 128 (t 5)* - 1 Bohuslaus Bohemus *om.* mt - iuris utriusque| i. u. mt - interpreti| doctori mt - de Argentina| Argentinensi mt - singulari| charissimo mt - 2 Elueret sm - lachrymis mt - 3 aderit sm - Stigiaequae s - Flegetonata s - 4 pervenient (sic) t - in *om.* s - 6 data *om.* mt - 1482 mt - XX| 20. mt

3. — fmt - *cf. Ryba, ed. r, p. 131 (t 8)* - *epistolam in annum 1483. ponit t, cui editio f ignota fuit* - 3 facillime fm - 5 30| 3 mt - Anno—M.CCCC.LXXXV. *om.* mt

4. — mt - 3 Philomenem *corrigere in Philemonem*; Philomenem mt

5. — fmt - *cf. Ryba, ed. r, p. 131 (t 10)* - 1 M. Martino| Martino Mellerstat mt - 2 sincere fm - 3 aeditos f - prohemi f - 4 graviter id f - 5 itaque—arbitrer: *cf. Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z6v*

6. — fmt - *cf. Ryba, ed. r, p. 131 (t 11)* - M. Martino| Eidem f, Martino Mellerstat t - 2 nolim—sit: *cf. Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z6v* - negotium t - 4 ab *om.* f - contemptus est f - 5 amaversis *apud nos mendum typogr. pro amaveris* - litteris f

7. — fmt - *cf. Ryba, ed. r, p. 131 (t 12)* - 1 Aedlmanno f - 2 pollicentur ft - 3 M.: *Maximilianum: cf. Cornova, ed. c, p. 28* - 5 studiosissimo f - 6 ocii fm - excoecatus t - 7 quam - 8 confertur: *cf. Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z5r* - 8 a nonnullis| a nonnullorum f; *fieri potest, ut in autographo Bohuslai fuerit a nonnullorum impetu s. iniuriis, impetu s. iniuriis autem in editione f erronee relictum sit et in editione m a nonnullorum in a nonnullis mutatum sit (Ryba, ed. r, p. 131)*

8. — fmt - *cf. Ryba, ed. r, pp. 131—32 (t 13)* - 1 Aedlmanno f - p. *om.* mt - 2 cognocere *apud nos mendum typogr. pro cognoscere* - 3 delitiis m - 4 otium t

9. — fmt - *cf. Ryba, ed. r, p. 131—32 (t 14)* - 1 Aedlmanno f - 2 Si—sunt: *cf. Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z7v* - negotiatores t - preciosissimi f - 6 minime mihi| minime mt

10. — fmt - *cf. Ryba, ed. r, pp. 131—32. (t 15)* - *errore typographi numeros 5—11 uno versu superius ponas* - 1 D. *om.* ft - archiepiscopo mt; *annotat autem t Tridenti non fuisse archiepiscopatum, tantum episcopatum* - 3 caelandi m - 4 annulus fmt; *cf. ed. h, p. 32, 74* - iustitia t - 7. dedicasti t - 8 abhorruiisse t - 9 tum culpa| cum culpa t - 10 Nolim—existimes mt; *cf. 12, 4* - observavi: *errorem librarii esse suspicatur Cornova, ed. c, p. 404.*

11. — smt - *cf. Ryba, ed. r, p. 128 et 131 (t 7)* - 1 Bohuslaus—carissimo| Clarissimo i. u. doctori domino Petro Schotto Argentinensi, amico charissimo f, Eidem m, Petro Schotto t - doctor *apud nos mendum typogr. pro doctori* - 3 valetudine fmt - 4 benevolentia fmt - Hassensteyn fmt - X| 10. mt - 1487. mt; *epistolam autem in annum 1483. ponit t*

12. — *sfmt* - *cf. Ryba, ed. r, pp. 128—29 et 131 (t 16)* - *in titulo post Hassenstein inscribe Responsum App. 5.* - 1 Bohuslaus—praecipuos| Eidem fm, Petro Schotto t - qui| cum t - 3 quod| qui f, quin mt - solitudinesque mt - otii t - 5 ferunt s - 6 foenisecio ft, faenisecio m - incuria| in curia t - arandi| ne arandi mt - 7 pampinari; *Ryba credit pro pampinari legendum pasinari; v. De miseria humana, ed. r, p. 42 et ed. h, sent. 79* - ut—11 opus sit: *cf. Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, 24v—5r* - 8 Tytiros sf - Coridonesque s - 9 fortuatos f - nimium| minium t - bona si sua| sua si bona: *Verg. Georg. 2, 458* - 10 abuerem t - 11 vastum| fastum s - foelicitate sf - 13 otii t - 14 quamquam t - 15 otii t - Keysersberg mt - Hassensteyn fnt - quarto| 4 mt - ydus s - 1487. mt

13. — *fnt* - *cf. Ryba, ed. r, pp. 131—32 (t 18)* - 1 Iohanni—d. om. c; *epistolam Iohanni Sslechtiae scriptam dicit Cornova, ed. c, p. 386* - 2 posses mt - 3 similimum fm - 4 posset mt - Vale om. f

14. — *fnt* - *cf. Ryba, ed. r, pp. 131—32 (t 20)* - 2 et om. mt - negotium t - 4 sunt, sed| sunt, at mt

15. — *UVWct* - *cf. Ryba, ed. r, pp. 103—05 (t 21)* - 1 Bohuslaus| De urbe Praga et gentis Bohemicae moribus. *Εἰπέ τις ἐξ αὐτῶν, ἴδιος αὐτῶν προφητείας.* Bohuslaus V, De urbe Praga et gentis Bohemicae moribus. Bohuslaus W, De urbe Praga et gentis Bohemicae moribus. *Εἰπέ τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν προφητείας.* Bohuslaus c - Lobkowitz V, Lobkovicz c - Christanno VWc, Christiano t - Pedik perdilecto W, perdilecto Vc - salutem plurimam dicit U - in primis Wc - caeteris W - 2 sedes om. U - 3 adluit ct - septentriones V, Septentrionem W - Melnicam VW, Melnicum ct - millibus UVW - passuum om. ct - 4 planicies VW - Wisgradum V, Wissegradum Wt, Wissehradum c - collis ct - 5. Wisgradum V, Wissegradum Wt, Wissehradum c - Primislaus VWc, Primyslaus t - ferebat VWc - 6 regni VWct - Wisgradum V, Wissegradum Wt, Wissehradum c - pulcerrimis c - 7 Petri—atque: *decisum de folii initio* V - 8 quam—appellant| quam—appellat V, quae—appellatur W, quae—adpellatur ct - 9 Quumque ct - millibus VWc - 10 in potestate—facta| in in potestate Pragensi facta *corr. in in potestatem Pragensium facta, deinde corr. secunda manus in in potestatem Pragensium redacta* W, in potestate Pragensium facta (in potestatem Pragensium redacta) c, in potestatem Pragensium facta t - Extat V - Divi D. V - Pangratii *corr. e Pangracii* V, Pangratii Wt, Pangratii (Pancratii) c - in eo proelio. eo praelio W, in eo praelio (eo praelio) c - ceciderunt ct - 11 Wisgradum V, Wissegradum Wt, Wissehradum c - Carolus VWct - 12 Sancti S. V - Caroli VWct - Sanctae S. V - Catharinae VWc - Schlavorum V, Slavorum W, Schlavorum (Slavorum) c - afferebant VW - 13 Carolo VWc - est| est, item tunica Domini inconsutilis (item—inconsutilis: *e glossemate ortum videtur*) VW, est, tunica Domini inconsutilis c - Norinbergam V, Nurinbergam W, Norimbergam (Nurinbergam) c - 14 nulla VWc - respicis c - de republica om. VWc - 15 Karoli—domus: *decisum de folii initio* V - Caroli VWc (*custos in V*) - Est aedes| Sunt aedes V, Sunt (est) aedes c - Divi D. V - caeteras W - oportet U - 16 cognoscimus| congestimus, *in margine cognoscimus* V - septuaginta| 70 V - caetera W - Siska VW, Siska (Tsiska) c, Zizka t (*cf. 54.*) - tanquam VW - 17 est| esset VWc - Sylvius VWct - Florcetiae c - 18 conspicuus *corr. e* conspiciens V - 19 sordidas| foedidas t (*pro foedidas commendat sordidas* t) - Caeterum W - aliquanto c - 20 innovatae| immutatae VWc - cum| tum Uc - Wenceslai VWc - tanta| tanta U - 21 Extat W - in—opus: *decisum de folii initio* V - Caroli Wc - 22 Divo| D. V - Vradislaus VW - D. Wenceslai V, Divi Wenceslai Wc - caduca sunt VWc - 23 Wladislaus *corr. e* Wradislaus W - exstruit c - quotidie VWc - sumtu VW - inpendio t - operibus| opibus Ut - 24 humanis rebus VWc - in victu| victu W - 25 pretum c - quoties VWc - poculum in manus c - toties VWc - 26 Rudericus| Fridericus (Rudericus) c - facete om. c - qui c - 27 teritur c - in tonstrinis *corr. s. m. ex in W* - cauponis Ut - vero simile c - quae| quod (quae) c - 28 lingua Germanica VWc - quodi quia c - putent VW - 29 Foeminae W - voltu U - vultu—mammis: *decisum de folii initio* V - mammisque t - *errore typographi pro Pronu suterque lege Pronus* uterque - 30 Facilis—est| Facilis in transitu (facilis—est) c - auctores sunt VWc - tollerandum t - 31 traduntur ct - tanquam VW - alicuius om. VWc - Caeterum W - sint| sunt V, sit *corr. s. m. in sint, sint corr. tertia m. in sit* W, sunt (est) c - absumtum VW - 32 volt U - Wiciefistas VWc - Pig-

hardos VWc - adpellat c - Ihesum UW - Deum esse c - 33 adfirmant c - esse om. c - 34 haec| hoc t - palam—licet| etiam palam licet praedicare VW, palam licet praedicare c - et docent et om. VWc - cum| quam c - adstipulatoribus corr. ex astipulatoribus W, adstipulatoribus c - 35 ad—vicinarum: *decisum de folii initio* V - proclivi c - virtutem Ut - credunt corr. in tradunt, in margine s. m. credunt V, quaerunt U, tradunt (credunt) c, quaerunt (sic) t - 36 quanquam VW - hii t - possent corr. s. m. in possint W atque neque (atque) c - locum corr. e consilium V - 37 Wenceslao VWc - 38 senatorum (senatorium) c - Pragae alicui VWc - cuiuscunque VW - 39 tum alia, tum caedem talia, tum caedem Ut, tum alia, (scilicet Hungarorum caedes) tum VWc; Ryba, ed. r, p. 105. censet „scilicet Hungarorum“ esse interpolationem e codice, de quo codices VW descripti sunt; v. 40 - maximopere VW, maximo opere c - abhominati corr. in abominati V, abominati c - 40 secutum est vindictae emendationis V, secutum est vindictae emendationis corr. in secutum est vindictae et emendationis W, secutum est vindictae (et) emendationis c; Ryba, ed. r, p. 105., credit „vindictae emendationis“ interpolationem esse e codice, de quo codices VW descripti sunt; v. 39 - etiam om. c - 41 Obiiciebant c - languam VW - satis esset c - satagebant VWc - quae| quod c - persuaserant VWc (errore typographi pro persuaserunt lege persuaserunt) - 42 errore typographi pro case lege caste - minime—animi: *decisum de folii initio* V - 43 natura in marginem scriptum V - millibus VWc - 44 disuetudinem Ut - 45 imitatur Ut - caeterum W - 46 tamen corr. e tantum et s. m. scripsit in marginem tamen W, tantum c quoniam| quum t (cf. Ryba, ed. r, p. 105, comm. 1) - congruit corr. in congruunt W, congruunt c - 47 Quanquam VW - fuerant c - quotidianae VWct - ocium W - enervavit VW, enervavit (fortasse enervant) c - 48 luere corr. s. m. e sumere V - presbiteris U - nephas t - Moisi V - 49 fucare| confutare Ut - paullulum c - exsultant Vc - magno gaudio c - tanquam VW - scismatis Ut - arripiunt—essent: *decisum de folii initio* V - sedis| ecclesiae Ut - 50 videntur| creduntur c - intollerabilia t - sunt U - censent U - 51 cauponiis Ut - quotidianum VWc - nepharia t - putantur| permittuntur U - 52 Carolo VWc - Pragae W, Praga (Pragae) c - celebratur V - 53 Carolo VWc - cum Wenceslaus VW, quum Wenceslaus c - solum Pragenses Ut, tantum Pragensis c - extant UW - 54 Siska VW, Siska c - Taboritarum VWc - exsilium c - diripiebant U - tanquam VW - nullus c - 55 devenerunt corr. e pervenerunt V, devenerant W - 56 extinctus c - 57 Paulus c - Mathiam—in: *decisum de folii initio* V - Mathiam (custos) V - connivente, coadiuvante VWc - Quanquam VW - regni om. VWc - est animo VWc - Matthia VW - bella W - 58 cum Matthias VW, quum Mathias c - apertam putaret| aptam reputaret Ut (falso scribit t utrumque codicem [VW] aptam habere, fortasse pro apertam) - 59 quum c - Matthia VW - Vladislaum V - remaneret VWc - caeterae W - Matthiae VW - 60 extincto c - millia VWc - numum c - 61 sumus| sinus VWc - sapere plus VWc - 62 nostratum W - quanquam VW - nobis id VWc - ocium W, otia c - 63 quum c - quidem| quodam t - hoc id c - 65 Sylvius c - exterorum Ut - quanquam W - contemnenda fuit Ut, contemnendus est corr. in contemnendus fuit V, contemnendus Wc - cultum| multum t - 66 a nobis habenda c - illustravit. FINIS V - Versio Germanica sequitur in editione c.

16. — Di(d)t - cf. Ryba, ed. r, p. 118 (t 29) - 1 Bohuslaus—suo| Bohuslaus Hasistenius Victorino i(d)t - nescio quid om. i(d)t - Divum S. i(d)t - 2 ipsis i(d)t - 3 quos quas i(d) - 5 certo i(d)t - ex| in i(d)t

17. — smt - cf. Ryba, ed. r, pp. 128—29 (t 24) - 1 Bohuslaus—p.| D. Petro Schotto s. p. d. m. Petro Schotto s. p. d. t - Lobkovic s - literae mt - orationis| omnis mt; Ryba (ed. r, p. 129) credit „omnis“ erronee esse solum in ed. s ex abbreviatione pro „orationis“ - sanctimoniae mt - 2 Quod| Quae mt - comode s - 3 Statueram—aiunt; cf. ed. m. Vita Bohuslai, Z7v - Siria s - Egiptoque s - 4 litora t - Byzantion mt - Mahometici mt - 6 literis mt - defficultur t - 7 reget mt (regit: Verg. Aen. 4, 336) - 8 sine... sine praesagio mt; Ryba (ed. r, p. 129) credit in ed. s lacunam pro quodam vocabulo Graeco esse relictam; „praesagio“ minime aptum videtur; v. similes lacunas App. 2, 10 et App. 5, 12 - 1490: die 16. t

18. — nt - 2 mendum typograph. com. pro com- - 4 Helesponti n - 5 otium t - 7 Post scripta. Qui has . nt

19. — fnt - cf. Ryba, ed. r, pp. 131—32 (t 27) - 1 Egipti f - milia t -

quadraginta mt (cf. Ryba, ed. r, p. 132., comm. 3) - 2 masticen t - 3 Turciam mt - Smyrnaeum sinum et om. mt - 4 Saphusque fm - Dolon f - Tenum| Tenedum mt (cf. Ryba, ed. r, p. 132., comm. 6) - 5 Polibvoque mf - exstare t - 6 Methonen t - Parnasum f - 7 Quem—9 tuta sit cf. Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z7v—8r - 8 quotidie mt - 9 Christannum mt - 1491 die 16 t

20. — fmt - cf. Ryba, ed. r, pp. 131—32 (t 28) - 1 Stephano—d. Eidem m - 2 Sed sarcina—3 transegerim: cf. Mitis, ed. m, Vita Bohuslai, Z6v—7r - 2 sarcina| farcina t (corr. in Erratis) - 5 Cyreneis f - N.: scilicet Moravia, annotat t - Cyreneis f - 6 sapientum mt - 9 1491. t

21. — smt - cf. Ryba, ed. r, pp. 128—29 et 131 (t 29) - 1 Domino om. mt - Keyersbergio s. d. mt - 2 seculi fmt - celestia s - foelix s - 3 mihi om. t - suos| Petri fmt - literis mt - 5 literis mt

22. — nt - 2 mendum typogr. iteras pro literas

23. — nt - 1 statum: locum corruptum credit t; Schlechta-Wssehrd, in Liter. Beil. zu den Mitt. d. Ver. f. Gesch. d. Deutschen i. B., 32 (1893/94), p. 19, conicit rerum Olomucensium statum

24. — smt - cf. Ryba, ed. r, pp. 128—29 et 131 (t 33) - 1 Bohuslaus—salutem| Eidem s. fm, Ioanni Keyersbergio s. t - 2 abissus s - multa (sic) t - 3 foecit s - 4 accersere mt - 6 coeperam s - conturbationes t - 7 celu s - doloreque m, dolere t - lachryme s - et reliqua om. fmt; Ryba (ed. r, p. 129) credit haec verba significare epistolam ad finem excusam non esse. Fieri potest, ut iam in manuscripto, de quo epistola edita erat, epistola tota non sit descripta - Datae fmt - 1492. t

25. — nt - 3 pene t - 5 tamen tum| tamen cum t - 6 Bulsania t

26. — nt - 1 Bernhardo—d. Eidem n - 5 pene t - 6 enim| nam t - schedula t

27. — nt - M.—d. Eidem n Chrudimensi| Cornelio t

28. — nt - 2 enim om. t

29. — nt - 1 misiistis n - 3 antequam t

30. — nt - 1 Domino D. domino domino t - 4 negotium t - vastam n

31. — nt - 1 Sselnberg t

32. — nt - Sselnberg t - 5 enim om. t

33. — nt

34. — nt - 3 tui a me t

35. — i(d)t

36. — UYmt - cf. Ryba, ed. r, pp. 106—07 (t 49) - 1 Bouslaus—Hasenstein om. mt - Domaslavia mt; cf. Annot. Crit. 39, 1 - s. p. d. s. p. dc. Y, s. d. mt - Pragenses mt - arbitrioque| arbitror que U - 2 vix animo| non mt - huius nobilissimae| nobilis huius m, nobilissimae huius t - Boemie Y, Bohemiae mt - caeteros mt - 3 Videor mihi| Vidor Y - quo| quod UYm - literarum mt - clarius om. m - 4 enim a| autem e m - quoque—circumspectissimique| nostri prudentissimi quoque mt - sed| se U - ceremoniasque mt - auctoritate| autoritate Y, auxilio m - 5 coeptum| conceptum U, ceptum Y - atque| et mt - studioque UY - expectendum Y - 6 naturam| noticiam m huc| hunc Y - verei (abbreviatione relicta) Y - 7 cupiunt mt - Hi om. Y - ultimo versui paginae 26. appone numerum 8 - 8 paccata Y - sedionesque (abbreviatione relicta) Y - instituta (abbreviatione relicta) Y - 9 aliquot Y - documento mt - quae—est om. mt - que UY - sepe UY - nil mt - volo ominari Y - 10 Caeterum mt - sint| sunt Y - tamen inscripsit supra eadem manus U, om. Ymt - de se mihi mt - nihil ignaviae om. mt - 10—11 zeium. Vigilabunt hi| zeium vigilabunt: Hi Y - 11 obiciunt mt - 12 inmortalem Y - omnes om. mt - 13 gloriosum| gloria m - depravatosque| damnatosque m - 14 nationumque om. mt - literisque mt - 15 ingrementum Y - 16 literarum mt - 18 scismaticum UY - hereticumque U - atque om. mt - est om. Y - iisdem mt - Buslavia UY, Bulsama m, Bulsava t Decima—MCCCCLXXXIII^o. om. mt

37. — nt - 3 possem t

38. — nt - 4 mendum typogr. patrem pro partem - 5 expediat t

39. — UYnt - cf. Ryba, ed. r, pp. 106—13 (t 50) - 1 Bouslaus—Hasenstein om. nt - et de Hassistein| etc Y - Domaslavia n, Domaslavia t; cf. Annot. Crit. 36, 1 - publicas| regni nt - debachantis UY - coniciis nt - pelagus UY - Iohannes Y - 2 Accidit Y - his| huc n - verser n - Ieronimo Y - nequaquam| nunquam n - 3 Camillique| Catullique n (cf. 51 et 53) - poene

